



LES PLANTES,

POÈME

TRADUIT EN VERS LATINS.

Le Poëme français se vend à Paris, chez  
DETERVILLE, Libraire, rue Haute-Feuille,  
N.º 8.

16993/p

**LES PLANTES,**

**POÈME,**

**TRADUIT EN VERS LATINS.**

*Le poëme françois, LES PLANTES, se vend  
à Paris, chez DETERVILLE, Libraire, rue  
Haute-Feuille, N.º 8.*

42550

# BOTANICÓN

## LIBROS QUATUOR,

### È CARMINE GALLICO

VIRI CLARISSIMI R. R. CASTEL;

In latinis versus transtulit

CLARUS-LUDOVICUS ROHARD,

RHETORICÆ PROFESSOR

*In Scholâ Regiâ Militari Flexiensi.*



A LA FLÈCHE ;

Chez le Suisse de l'Ecole Royale ;

A PARIS,

Chez AUDIN, libraire, quai des Augustins, n.º 25.

---

DE L'IMPRIMERIE D'AUGUSTE MAME, A ANGERS.

Décembre 1818.



---

# PRÉFACE.

---

LE poëme des PLANTES a déjà été traduit dans plusieurs langues, et sa quatrième édition est presque épuisée; c'est, pour un ouvrage en vers, un assez beau succès dans un temps où les romans et les brochures politiques ont presque entièrement étouffé la littérature. Lorsque j'entrepris de traduire en vers latins le poëme de M. CASTEL, je n'avais pas sans doute présent à l'esprit ce conseil de Boileau:

Craignez d'un vain plaisir les trompeuses amorces,  
Et consultez long-temps votre esprit et vos forces;

je me laissai entraîner par un sentiment passionné pour l'ouvrage, ainsi que pour la personne de l'auteur. J'admirais dans le poëme toutes les beautés que comporte le genre, si heureusement placées, et traitées sans affecterie; et dans l'auteur, un ami de la nature et de la vertu, un littérateur plein de lumières et de goût.

Mes efforts ont été encouragés par d'anciens amis, dont quelques-uns rentrés en France depuis la restauration, m'ont assuré qu'une traduction du poëme des PLANTES, en vers latins, serait favorablement accueillie, même

## PRÉFACE.

chez ceux de nos voisins qui en ont déjà des traductions dans leurs idiomes. J'ai reçu de nouveaux encouragemens de la part du premier humaniste de l'Europe, qui, dans son *Hermès Romanus* (1), a publié tout le premier chant de ma traduction. M. Servan de Sugny, dans son *Annuaire des Muses latines* (2), m'a fait aussi l'honneur d'insérer plusieurs fragmens des trois autres chants. Puisse donc cette traduction, après tous les soins que j'y ai mis, justifier tant de bienveillance !

---

(1) L'*Hermès Romanus*, par M. Barbier-Vémars, est publié le premier de chaque mois, par cahier de 48 pages in-12, à Paris, rue du Cloître-Notre-Dame, N.º 4. SA MAJESTÉ a ordonné qu'il serait payé annuellement, sur sa cassette, au rédacteur, le prix de cent souscriptions, pour l'unique exemplaire qu'ELLE daigne recevoir.

(2) L'*Almanach des Muses latines*, à Paris, chez Audin, libraire, quai des Augustins, N.º 25. La première année a paru au mois d'août 1817 ; la 2e. année au mois d'août 1818.



VIRO CLARISSIMO,

RENATO-RICHARDO CASTEL:

Virtutis potius , vani quàm cultor honoris ;  
Hoc memoris tibi sit pectoris obsequium.



---

# BOTANICÓN

## LIBER PRIMUS.

O qui prata et agros , sylvasque et amoena vireta  
Incolitis , varias et amico numine plantas  
Mulcetis , Zephyri ; Dryadesque ; urnâque perennem  
Uberè fundentes herbis lætantibus undam  
Naiâdes , date vestra sequi vestigia : vestra  
Discere ruris amans gestit mysteria Musa.

Tuque ô cui semper , nec vana per otia , magnis  
Nec sinè deliciis , studuère sophique ducesque ;  
Quæ virides inter frutices , ramosque , vel herbas ,  
Tàm varios nitido spargis splendore colores ;  
Adsis Flora mihi dea , carminibusque disertos ,  
Emunctis placeant qui naribus , injicé flores.

Littore ab Hesperio regnas Orientis ad oras ;  
Obseris uberibus Maurusia littora donis ;  
Errantùm recreas Lapponum lumina ; celsos  
Nobilitas montes pretioso gramine ; et imo  
In pelago immensis humentia frondibus ornas  
Antra , solent quibus æquoreæ considerare Nymphæ.

Tu calice in tenui florum suavissima fundis  
 Mella apibus; roseo miscens quæsitâ sapore  
 Pocula, cœlestes rorâsti nectare mensas.

Fœtos lætitiâ nobis turgere racemos,  
 Triticeasque jubes nobis pinguescere aristas.

Te sinè, divitiis orba et propagine, inertem  
 Nil nisi luxuriam foliorum admitteret arbos.  
 Numine terra tuo, lymphæque ornantur, et aër;  
 Omnia te roseum spirante afflantur odorem.

Deliciæ aspectûs, ridentis gaudia terræ,  
 Salve ô Diva, mihi nascentia germina amicâ  
 Ultrò evolve manu; vitreoque ut in æquore, nostris  
 Versibus eniteant rutili, tua munera, flores.

Quum primâ Zephyrorum aurâ putrescere campi  
 Elabique nives cœpère, virentia nûmquis  
 Gramina inertî oculo spectet, gemmasque micantes?  
 At si quis reputat plantis nos ducere ab îdem,  
 Quum maturuerint, alimenta et gaudia et omnis  
 Lenimen morbi, nolit nescire quid illis  
 Sit generis, morumque, et quæ sit denique virtus.  
 Quem lateat facile hoc studium quàm debeat esse,  
 Vitæ deliciis atque usibus omnibus aptum?

Sæpiùs officiunt inimicæ frugibus herbæ ;  
Ipse tamen valles vere insectatus et æstu  
Agricola , impensæ non ulli operæve pepercit ;  
Optimaque excussâ delegit semina vanno.  
At nescit quæ triticeos invaserit agros  
Infesta herbarum propago ; eademque quotannis,  
Ipso nequicquam sudante , repullulat herba.

Nec nulla infido pecudes necat herba veneno :  
Bucula , vernanti quum gramine prata virescunt ,  
Nescia odorari sævam sub rore cicutam ,  
Exitio occumbit tristi ; sortemque malignam  
Ignari incusant : facili sed providus arte  
Cavisset pastor nè dira occureret herba.

Si scateant lætis fluviales piscibus oræ ,  
Si tibi viminei casses et subdola retis  
Lina placent , hamusque , et linea pensilis ; isti  
Munere Diva suo nostra auxiliabitur arti.  
Incautos etenim , genus insatiabile , pisces  
Plurima plantarum vis allecabit odorque.

Retibus immisce caules benè olentis anisi ,  
Et mentham halantem , nardique fragrantis aristas :  
Prædarum ingenti rumpentur pondere casses.

E pelago in fluvios redeat quo tempore piscis  
 Ipsa etiàm certo nos admonet indice Flora.  
 Nàm primùm ut surgunt riguis nasturtia pratis,  
 Tùm simul omne genus salmonum excedere vasto  
 Æquore, et oppositos obices assultibus altis  
 Certatim exsuperans, patrios remeare sub annes.

Felix ille igitur qui prataque, et avia lustrans  
 Clivorum, dites potuit cognoscere plantas!  
 Callet enim fidis placeant quæ pascua bobus;  
 Undè gravi lentæ redeant vix ubere capræ;  
 Et quâ luxurient agni cum matribus herbâ;  
 Et quo quadrupedes recreati gramine; cursum  
 Proripiant, celeresque velint prævertere ventos.

Lanæ conspicuum si quis velit addere honorem,  
 Vicino in saltu poterit reperire colores.

Tristi si qua lues infecit corpora morbo,  
 Propitia in viridi florent medicamina valle.

Si verò atra fames regionem afflictat egenam,  
 Non timet ille suæ nè rara cibaria proli  
 Deficiant; artis nàm docto lumine ductus,  
 Quas misero abdiderat vulgo natura, latentes

Novit opes , tacitos sylvestri ex arbore fructus ,  
Multaque desertâ reptantia tubera terrâ.

Novit et incultam si quâ cerealibus herban  
Suffecisse queat granis industria ; et alium  
Ex hederâ et pinûs de cortice fingere panem.  
In gremio florum et foliis certissima cernit  
Signa quid auster atrox meditetur, quidve procellæ  
Instet , agrone metenda Ceres , credendane sulcis.

Utilia imprimis audi præcepta , virentes  
O quicumque levi rastro insectaberis hortos.  
At, mihi crede , in agris , in saltibus , atque per ima  
Vallium , et aërios , loca desertissima , montes  
Libera ubi crescunt , propriâ quæ semina dextrâ  
Natura insevit , nobisque interprete nullo  
Ipsa suæ gaudet miracula prodere mentis ,  
Ipsius arcanas meliùs scrutabere leges.

Extremis Asiæ tibi si mittuntur ab oris  
Aut alio rari longinquo è littore alumni ;  
Istis quale solum , quænam aura , an frigus , an æstus  
Conveniat , surgant primi quo sidere flores ,  
Discentem indicibus certis documenta monebunt.  
Tunc demùm tenuis solerti arbuscula curâ  
Admittet simili patriam sub sole repertam.

Numquàm nè veteres tamen anteferamus amicos :  
 His nempè antè alias foecundis stirpibus omnem  
 Curam adhibere decet , nostris quæ saltibus ortæ ,  
 Nostras circùm urbes , nostro subsistere cœlo  
 Consuetæ , nostros aptissima munera ad usus  
 Spontè ferunt ; arctis neque contrà frigora cellis  
 Clauduntur , vario sed amœnant rura colore .-

Quarum palmitibus , si quos invisere rupis  
 Anfractus mihi mens , adnixus inhæreo ; eædem  
 Floribus antè pedes lato spatiantis in agro  
 Insternuntque viam , recreant et lumina visu ;  
 Certatimque mihi ditissima dona quotannis  
 Fundentes , dulci curvantur pondere rami.  
 Hinc dapibus mensas oneramus , opemque dolori  
 Accipimus , miserisque optata levamina morbis.

Nunc sua dimensis decet ornamenta viretis  
 Addere ; at ipsa manus nostras regat usquè venustas .  
 Artes hortorum geminæ dominantur in orbe ,  
 Diversisque locos ornant rationibus : una  
 Nata inter Gallos , observans ordinis , omnes  
 Secum artes ducens , festivâ splendida pompâ  
 Incedit , rutilâ frontem redimita coronâ ,  
 Et variis zonam sertis ornata micantem .



Hic tiliæ dociles, paribus per multa viarum  
Dispositæ numeris, lætam viridantibus umbram  
Dant spatiis, agitat pubes ubi lecta choreas.  
Illic, ingentes imitatae fornicis arcus,  
Castaneæ attollunt longo ordine ad astra cacumen.  
Hinc illinc Pario spirant è marmore, doctis  
Quæ scriptis veteres commendant numina Graii,  
Quique suam egregiis patriam, dum vita manebat,  
Artibus heroes illustravere, vel armis.  
Ducta per occultos compressaque lymphæ canales  
Sublimi exsuperat regalia culmina jactu;  
Atque recumbentes solido inclinantibus urnis  
Ex ære has fluvios effundere dixeris undas.

Ordinis impatiens, hortorum ars altera, comptas  
Despiciens artes, pompamque exosa superbam,  
Ingéniique vias errando imitata, jugum omne  
Abjicit. Hanc celebris dudum colit insula, nostro  
Spumosi quam sæva fræti unda removit ab orbe,  
Sævior at removet decepti insania vulgi.  
Illos non rectis hortos metatur arator  
Callibus, ast errans sinuoso tramite virgo.  
Diversis hinc indè locis, conjuncta gregatim,  
Arbore densa arbor, spontè hinc et nata videtur

Et sorfita suam stationem ; nullaque falcis  
 Vulnera passa, procùl, quantùm vult, projicit umbram.

Per collem niveo candentes vellere pascunt  
 Gramen oves , et luxuriant cum matribus agni ;  
 Custoditque gregem , summo de vertice collis ,  
 Pan ortas inter Boreali è littore pinus.

Explicat illecebras hîc rustica villa modestas ,  
 Munditie insigni ; butyrum , lac molle , serumque  
 Pingue levi pressum calatho , venientibus offert.  
 In testudineum sarmenta sequacia dorsum  
 Illic pampineo densissima vitis honore  
 Porrigit , è vivo servat quam marmore Bacchus.  
 Unda modò occultis rauco cum murmure currit  
 Tramitibus , lato nunc limpida lucet in alveo ,  
 Et vitreos flavâ latices extendit arenâ ,  
 Virgineum invitans segura ad balnea coetum ;  
 Et caput infesto cornu deformis , in orâ  
 Admonet Actæon : « Procùl , ô procùl este , profani ! »

Regales ità diversis rationibus horti  
 Ornantur ; sed frugiferum tu , more Catonis ,  
 Hortulum ama , qui læta tibi det oluscula , et omne  
 Pomorum genus , impensas et fœnore vincat.

Vere labor primo incipiat ; jàm semina terræ  
Crede ; nihil vario sinè semine ridet in hortis.  
Ergò priùs terram exerce , validisque lacertis  
Alta , pede innitens , capulo tenùsingere rastra.

Sicubi vernantes geminatâ voce per agros  
Insonuit volucris vesano invisâ marito ,  
Si tres propitius noctes non desinit imber ,  
Udâ post triduum surgunt sata semina terrâ.

Areolam sævis aversam Aquilonibus unam  
Elige , sol mediâ foveat quam luce benignus :  
Floribus hæc teneris dabit incunabula , rarâ  
Sub tellure fimi tepidos cõplexa vapores.  
Hic hieme in mediâ , fausto decepta calore  
Semina turgescunt ; radiisque excitus amicis  
Cauliculus micat , et florum primordia trudit.

His verò invigila : noctem vix luce cadente  
Inducit vesper , lethali à frigore vitrum  
Per dubios menses et densæ protegat alta  
Congeries paleæ ; noctu nam sæpè tenellas  
Bruma repentino necat acris vulnere plantas.  
Immani stridet Boreas asperrimus irâ ,  
Et « multa in tectis crepitans salit horrida grando. »

Infensam è Scythicis hiemem erupisse cavernis  
Dixeris, et nivibus glacieque redire rigentem.

Frigore tùm trepidat Procne, jejunaque circum  
Tecta volans, muscas rostro venatur hianti  
Frustrà; et in angululis clauduntur frigore muscæ.  
Illa ægrè tremulâ vacuas demissa per auras  
Pennâ, jàmque cadens, zephyros incusat iniquos  
Qui, miseram infido revocantes flamine, sæva  
Incautam insidiis populère ad funera blandis.  
Sic, nisi provideas, primo jàm in limine vitæ  
Decidui heu! Stygias flores rapiantur in oras.

At flores dùm propitio sol fervidus æstu,  
Et vivis tepidi recreant humoribus imbres,  
Intereà et crescunt inimicæ floribus herbæ,  
Hosque bonâ fraudant almæ pinguedine terræ.

Sors ità constituit: tristes inamabilis umbras  
Invidia ingenio solet induxisse, novisque  
Miscetur semper curis heu! fluxa voluptas.  
Sic invisâ tui cunctis in partibus horti  
Progenies, et aculeolis ustiva molestis  
Urtica, et viridis glaciali Æthusa veneno,  
Herbaque Mercurii de nomine dicta, canique

Dilectum at Floræ nunquam lætabile gramen ,  
Pullulat , et teneros umbrâ suffocat alumnos ;  
Et quantum avellet longis tua dextra diebus ,  
Tantum , si noctis roraverit hora , resurget.

Ista sed infausto crescentia gramina foetu ,  
Possumus haud ullos quæ jam convertere in usus ,  
Tradere nè pigeat Vulcano. Occultus acervum  
Arentem crepitans primum depascitur ignis ;  
Tum densus tenues elabi fumus in auras :  
Gramina mox , flammâ sursum erumpente , perusta  
Concidere : at cineres effoetæ pabula terræ  
Læta dabunt , priscumque instauratura vigorem.

Sunt hortis suæ opes , sunt ornamenta ; vicissim  
Tempore quæque suo fidum fert planta tributum.  
Jam florum in calicem , blando cum murmure læta  
Sese apis insinuat ; nunc hos , nunc mobilis illos  
Papilio auratis libat nitidissimus alis.  
Verum præ lepido genere , innocuisque vireti  
Hospitibus , turpes irrumpunt undique turmæ  
Prædonum , campe , et scarabæi , et edacia , vermes ,  
Agmina , plantarum partes populantia cunctas ,  
Radicem et folia , et caulem , lignumque librumque.

Vix tenera è sævo recreata arbuscula morsu ,  
 Intima vivaci reparavit vulnera fibrâ ,  
 Ecce cicatricem infestant, et viscera rursùs  
 Erodunt avidis immundi dentibus hostes.

Non aliter Tityi redivivos morsibus artus  
 Immanis rostro discerpit vultur obunco ;  
 Carnificisque sitis, nullo satiabilis haustu ,  
 Usquè renascenti bibit usquè in corde cruorem ;  
 Rimaturque vorax epulis, erratque sub alto  
 Pectore ; nulla quies jecori datur immortalì.

Quid juvat insidias narrare, dolosque, levesque  
 Reticulorum artes, quibus insectère minorum  
 Agmina monstrorum? Nobis namque ista volucres  
 Arcebunt: Frigilla procax; et Loxia rubro  
 Pectore; subviridisque nitenti Loxia plumâ;  
 Et nigram insignis frontem Parus, atque modestum  
 Dulcisono exornans cantu Philomela colorem.  
 Omnes assiduo circùm dumeta volatu  
 Venantur, nidisque ferunt lætantibus escam.

Sin antiqua tuis etiàm nunc exstat in agris  
 Arx, alto circùm quæ vertice desuper arva  
 Prospiciat; magnum talpis et agrestibus indè

Muribus exitium. Noctes vigil indè diesque  
Alituum genus, et corvi crepitantibus alis  
Præcipites, opicis expurgant furibus hortos.

Ergò tibi alituum placeat genus omne; sinè illis  
Nec tàm graminei gelidis in vallibus amnes,  
Nec tàm mobilibus viridantia messibus arva,  
Nec tàm speluncæ placeant, nemorumque latebræ.  
Alituum ludis et cantibus omnia rident;  
Illi hortos ornant; si quem formosa virentes  
Nidum inter ramos arbuscula sustinet, olli  
Delicias dominorum omnes hæerere fatentur.

Aucupis infandas odi immiserabilis artes  
Qui teneram matri sobolem dextrâ asper avarâ  
Eripit. Ah! potiùs nostris adolescere in umbris,  
Ruraque concentu liceat recreare canoro!  
Nec vel inaurato captivos carcere claude;  
Semper enim desiderio sit et aeris ora  
Liberior, patriumque nemus, dumetaque nota,  
Dulce sònare melos ubi, et arridere voluptas.

Argutâ volucrum voce exstimulante, cubili  
Illicò surgit amans plantarum, urbemque relinquit,  
Et matutinum rorem inter et humida ruris.

Gramina , magnificas immenso lustrat in horto  
 Mirabundus opes. Quantùm exoriente colorum  
 Se sole effundit , se quantùm effundit odorum !  
 Qualis humi sese circùm undique pandit imago !  
 Collibus in mediis micat auro primula veris ;  
 Pingit se rivo acclinis narcissus ad undam ;  
 Cespite et in viridi , quo sese abscondere gaudet ,  
 Prodit odor violam suavissimus. Ille profundas  
 Sylvarum latebras subit indefessus , et alta  
 Saxorum audaci conscendit culmina gressu ,  
 Quas oculos vulgi celat natura , salubres  
 Vestigans plantas ; pretioso donec onustus  
 Fasce , domum læto festinans corde reuertit.

Sæpiùs hunc agili sequitur pede multa bonorum  
 Turba adolescentùm , doctrinæ fervida amore.  
 Ardua clivorum scandunt , crebrosque vicissim  
 Scrutantur dumos studioso lumine. Si quis  
 Protulit ignotam quærentibus angulus herbam ,  
 Ilicet affertur docto monstranda magistro.  
 Hic plantæ nomen , turbâ admirante , repertæ  
 Edocet , atque habitus , et quo det sidere flores ,  
 Et quibus illa locis soleat sibi condere sedem.

Huic , vos , ô pueri , studio indulgete ; benignâ



Flora manu vobis sua munera euntibus offert ;  
 Fas opibus naturæ uti ; sed , credite , abuti  
 Nè libeat , neque sylvestres offendere Divos.  
 His etiam virgulta placent inculta ; remotis  
 Sæpè locis Nymphas et , agrestia numina , Faunos  
 Sylvanosque ferunt , lunâ illucente , choreas  
 Exercere , novis redimitos tempora sertis.  
 Hi læta arcanis nemora et deserta locorum  
 Exornant studiis ; horum clamore jocantùm  
 Sylvæ et saxa sonant , nostræque per ardua vocis  
 Antra repercussæ geminata resultat imago.

Ipse quoque , à teneris , naturæ accensus amore ,  
 Sylvarum quærebam umbras placidosque recessus.  
 Non mihi Versalicas mos sæpè invisere pompas ,  
 Verùm Senartî nemora inter opaca silentis  
 Totâ errare die , calidoque Abrontis in agro ;  
 Et mihi ridebant , præter loca cætera , Fontis  
 Bellaquei merito quam dicunt nomine sylvam ,  
 Illaque ubi Oësi sese adjicit Auxona lymphis.

O mihi quanta tuo spatianti in rure , Modunum ,  
 Gaudia , florigeris quum sese in collibus Ophrys  
 Obtulit illa , levi similis volitantibus alâ !

Florem credideris volucrem , jàm caule relicto  
 Velle per aërios celeri fugere impete tractus .

Si quis ab extremis talem alta per æquora plantam  
 Finibus attulerit , quantùm omnes ista tuendo  
 Suspensos teneat ! nostri sed plurima frustra  
 Admiranda ferunt , et neglectissima , saltus :  
 Hos pedibus calcat venantùm turba profanis ,  
 Latratuque canum turbat sonituque tubarum ,  
 Et lignatorum populatur acerba bipennis .

Mecum ô blanda veni , dilecti ruris , Elîsa ,  
 Deliciæ , placidæ donis ornata Minervæ ,  
 Casta veni conjux ; roseâ jàm candida Eoum  
 Luce Aurora polum spargit , nitidusqûe rubenti  
 Sidere mox Phœbus totum illustrabit Olympum .  
 Nunc licet ambobus rorantes ire per agros ,  
 Incertas Zephyrus plantas ubi flamine molli  
 Demulcens , auris , tam suaves miscet odores  
 Quàm pia vota tuo quæ corde ad Numina surgunt .

Hic ubi florentùm candent capita alta pirorum ,  
 Obscurum cernis clivoso in tramite tectum ?  
 Hic bonus hesterno tardatus vulnere reptat

Agricola, errantem qui, quum dumeta per alta  
Capreolum insequitur, se saxo illisit acuto.

Cui si quid valeat sævum lenire dolorem  
Quæramus. Tua, jàm dicto obsequiosa parentis,  
Filiola in manibus teneris, pia dona, salubres  
Saniculæ flores, Centaurique attulit herbam.

Hæc adhibere ægro properemus : amica dolenti  
Auxilia et placidæ dare nos solatia frontis  
Quàm juvat ! O si me solum unquàm tristis, ut illum,  
Fortè dolor cruciet, quàm te mihi, Elisa, videre  
Dulce sit et gratum ! miseris succurrere quantas  
Delicias ferat, ignavo non pectore sentit  
Quem turpi mollis constringit inertia vincolo.  
Nullius iste malis ullâ valet arte mederi :  
Sed miseros inter jacet ipse miserrimus ; ægra  
Usquè fatigato patitur fastidia corde.

Nequicquàm rident redivivis floribus agri,  
Ditibus alma Ceres frustra flavescit aristas,  
Pampineos et ovat per colles turba Lyæi,  
Hibernisque riget natura severior umbris ;  
Vix unquàm iste oculo naturam spectat inertem  
Infelix ! Diro velutî nascentia ferro

Lumina crudelis rupisset dextra, silentis  
Obscuro tempus vitæ trahit omne veterno.

Nunc veris geminantur opes crescentis; adultam  
Naturæ nunc vis acuit divina juventam.  
Omnia nunc fervent; viridanti tegmine quercus  
Projiciunt campis seram lætantibus umbram.  
Liquitur in rores aër fœcundus, et imâ  
Sub tellure omnes tractus subit utilis humor.  
Exundant liquido nitidissima germina succo;  
Vallibus et sylvis miri effunduntur odores;  
Optato allecti recreantur frigore sensus;  
Et jam cuncta novâ gaudent animantia vitâ.

Sollicitâ volucres operosa cubilia curâ  
Ædificant; ab equo si quis pilus, inter acutos  
Si qua rubos cadit ex oyibus tenuissima lana,  
Hæc ipsæ ore ferunt, miram intexenda per artem.  
Nàm quis blanditias, ludosque, et ficta fugarum,  
Ardentesque animos, dulcesque enarret amores?  
Nonnè vides, Veneris quàm fervidus æstuet igni  
Passer, et assiduo sociam circùm impete sese  
Exagitet? Nec ei, simul atque potitus amorum est,  
Friget amor; sed deliciis velut usquè renascens  
Ingeminatur, amorque ex ipso crescit amore.

Ecce tuis, Puer Idaliæ, novaserta coronis  
Adduntur; tibi et in plantas quoque parta potestas.  
Suspiciosi animi si curam exemeris ægram,  
Cætera, qui nobis, amor est et floribus idem.

O qui læta Papho das jura, Cnidoque, Cytherisque,  
Inò per immensum regnas validissimus orbem,  
Adsis, ô formose Deus, tua dona canenti.

Candida purpureis surgunt tentoria velis;  
Hic thalamos parat alma Venus lætosque hymenæos.  
Solo agitata prius Zephyrorum flamine; motus  
Nunc alios planta edidicit, manifesta que blandi  
Signa dat ardoris: nova per commercia multos  
Inter se videas nutare, dare oscula flores,  
Inque vicem arridere, pari et se innectere amore.  
Si se fortè dies obscurat, opaca que coelum  
Obducit nubes, subito commota pavore  
Marcescunt folia, et rami, radiique, calixque;  
Clausa procellosis tentoria cladibus obstant,  
Dulce et conjugium placidas differtur in horas.

Stat generi mos cuique suus. Sæpissimè in uno  
Fœmina masque toro socialia fœdera servant;

Sepositis alii thalamis, ut cuncta salicta,  
Diversum ostendunt diverso in stipite sexum.

Solis ubi reditus radianti vellere signans  
Luxuriantem Ariès cum vere reducit amorem;  
Plurima tùm vacuum trans æthera semina mittit;  
Conjugis in gremium viridantis masculus; et si  
Lata palus interjaceat, tamen intima nectunt  
Vincula conjuncti Zephyris famulantibus ambo.

Spumantis Rhodani sub rauca sonantibus undis,  
Per menses bis quinque, genus mirabile plantæ  
Immersum latet; at Veneris redeunte solutus  
Tempore consurgit caulis, lucemque revisit.  
Immoti antè mares velut imo in carcere, ruptis  
Tùm vinclis, ad heram denso omnes agmine nare.  
Festivos inter festiva per æquora cœtus  
Solemni dicas Hymenæum incedere pompâ.  
Tempora sed Veneris postquàm effluxêre, recedit  
Planta reducta sinus, iterùmque immensa profundo  
Incubat, et felix adolescit flumine semen.

Haud procùl extremi glacialibus axis ab oris,  
Immatura breves horrendo deprimit æstus

Bruma gelu, informes nec dat pubescere fruges.  
Morum non constans illic natura suorum  
Educit rupto viventem stigmatè plantam,  
Quæ modò terræ hærens, properoque excreta vigore,  
Par ipsi assurgit non longo tempore matri.

Nobis ipsa quidem pactorum conscia amorum  
Præbet propitias nox opportuna tenebras;  
At manifesta suo florum connubia Phœbus  
Lumine collustrat. Simùl ad candentia cœli  
Ostia constantes oculis vigilantibus Horæ  
Solis equos junxêre, novâque cacumina luce  
Fulserunt adversa; Tribus pleræque micantes  
Plantarum Auroram festivâ in veste salutant,  
Dulciaque exercent connubia, cuncta volucrum  
Agmina dùm lætis permulcent cantibus auras.

Tùm Veneri indulgent aliæ quum fervida summos  
Rore exhalato terra undique colligit æstus.  
Vespere sed nitidam veniente obnubere frontem  
Horâ quæque suâ, et solitos admittere somnos.  
Externo flores oriundi è littore pauci  
Declinare solent nostris à lumine in hortis,

Nobiliumque instar dominarum (regia quondam  
 Plebeios mores quas temnere suaserat aula)  
 Nocturnas vigilare vices, dormire diurnas.  
 Scilicet adversis procùl in regionibus, undè  
 Ad nostras olim extractos adveximus oras,  
 Lux oritur, nostro quum sol decedit ab axe;  
 Moribus et patriis nostro quoque fidus in orbe  
 Semper eadem horâ flos et mense hiscit eodem.  
 Non aliter miseros fractâ rate, si qua recepit  
 Terra ignota; ægrè collectis tristibus illi  
 Reliquiis, patrios alieno in littore servant,  
 Longinqui exsili solamina dulcia, mores.

Sed nova jàm videas miracula. Mutua aventes  
 Per tenuem exercent volucrem commercia flores.  
 Conjuge si vir abest, fato si neuter iniquo  
 Intervalla nequit superare; ad utrumque vicissim  
 Ecce apis optatum vehit officiosa tributum.

Hoc illis nos auxilium dare possumus ipsi:  
 Ardenti in Lybiâ, raros ubi vertice pronò  
 Plurima adulta mares arcessere Palma videtur,  
 Unius avulsos florenti è stipite thyrsos



Providus in Palinas dextrâ quatit Afer amicâ ;  
Et tali natos hymenæo carpere foetus  
Exsultat sator , autumnô loca nota revisens.

At me læta diù tenuerunt gaudia amorum ,  
Debeor et reliquis quoque tempestatibus anni.

EXPLICIT BOTANICÔN LIBER PRIMUS.

---

# BOTANICON<sup>A</sup>

## LIBER SECUNDUS.

**T**ERRARUM immensum fecundis ignibus orbem  
Qui fovet irradians, Geminorum lucida Phœbus  
Sidera transgressus, summi petit ardua cœli.  
Huic tempestates, variis in vestibus, altis  
Nubibus invectæ, currum comitantur; et illo  
Dante, vicissim orbi vernantia gramina, flores,  
Arvorum et foetus; et vitea pocula fundunt,  
Utilia et gravibus concussa tonitrua nimbis,  
Undè fit uberior tellus et purior aër.

Nunc vultu AEstatem compellans ipse sereno,  
Eia age, Natarum, dixit, primæva mearum,  
Fas mecum tibi flammigero considerare curru;  
Pars tibi magna meæ sit vis, sit pars et honorum;  
Surgentem exultans cœlo te sentiat orbis;  
Jàm verò immanes, ô Nata, resolve pruinas  
Montibus in summis, radios ubi tristis inanes  
Spernit hyems; et hyperboreum devolve per æquor  
Cæruleas denso concretas frigore moles;

Pulsus et à Scythicis australes fluctus ad oras ,  
 Emanasse tuo mare et intumuisse calore  
 Inclamet ; sua crescere aquis animantia et auris ,  
 Nata , jube ; culicum scateant hinc indè paludes  
 Agminibus , strepitent que examina mille per herbas ,  
 Et sua quemque adeò teneant animalcula florem .  
 Te quoque dante , altà sub terrà effulgeat aurum ;  
 Ignivomusque tuâ splendescat luce pyropus .  
 Dona etiàm potiora ægris mortalibus adde :  
 Infima quas virides cernis fluitare per arva ,  
 Æstu propitio da maturescere aristas ;  
 Quæque inopis miserata Ceres tutamina vitæ  
 Excolere edocuit , tu da flavescere farra .

Sic ait. Illa sui præcepta facessere patris  
 Nobilibus properat fatis lætata ; per auras  
 Et per humum , fluvii in morem , diffunditur æstus .  
 Qui certè haud nocuus , sed priscis commodus arvis  
 Spontè ubi nunc etiàm Natura operatur , ubi ingens  
 Gramen , et alta filix , et opaco tegmine muscus  
 Almæ defendunt telluris summa , nec ullos  
 Transmittunt radios , nisi ut æstuet utilis humor ;  
 At per aperta locorum ubi cultu industria victrix  
 Vertumno solet et Pomonæ imponere leges ,

Non mora longa , illo tellus exusta calore  
 Florum infelicem marcentùm amittit honorem ,  
 Exantlare novos semper nisi sedulus imbres ,  
 Quotidiana avidis infundás pocula plantis.

Vos igitùr placido lætos quæ numine fontes  
 Ducitis et rivos , nobis felicia aquarum ,  
 Naiades , urnis effundite munera plenis.

Felix cui madidæ sinuoso è fornice rupis ,  
 Usque susurranti scaturit fons limpidus undâ !  
 Fluminibus pompa est major , sed sæpè viretum  
 Testatur quanto vicinia tanta periclo.

Ne riguos terræ latices infunde , perustam  
 Quùm summo indurat sol ardentissimus astro ;  
 Tuncenim inanis abit , ne chumum ipsa refrigerat unda ;  
 Imò sitim irritat fragrantem , altasque volucris  
 Ut vapor , ut fumus levis , evanescit in auras.  
 Non alitèr festis quùm thura sabæa diebus  
 Ante aras ignem tetigère , repentè coruscam  
 Ad cameram sese fragrantia nubila tollunt.

Quùm rapidi eoâ , prænuntia solis , ab orâ  
 Consurgens , aperit roseos Aurora colores ;

Seu magis , Hesperium Veneris quàm sidus amicas  
Post strepitus umbras atque otia læta reducit ;  
Tùm demùm tellus , diuturno exempta calore ,  
Blanda salutaris deposcit munera lymphæ.  
Tùm etiàm , quàm sera dies deferbuit , æstu  
Fessæ , deformes , et prono vertice , plantæ  
Languent ; sed riguos ubi potavère liquores ,  
Redditur effoetis nova vita , iterùm que virentes  
Attollunt redeunte caput sublime vigore.

Omnia jàm lymphis recreata. Bibère vicissim  
Et longo traxère haustu data pocula plantæ.  
Occiduis dùm sol etiam nunc luce cadentes  
Extremâ tenebras inspergit , rursus amicis .  
Tempus hero varias oculis invisere alumnas.  
Tùm etenim suaves iterùm exhalantur odores ,  
Tùm buxos inter virides coma gemmea florum  
Effulget , felix et ubique arridet imago.

Cras et ocellorum , cras et rubicunda rosarum  
Germina certa dabunt venientis signa decoris ;  
Arbor et Armeniæ , Cerasuntis et arbor opimos  
Certatim hesterno tribuent pro munere fructus ;  
Atque tui , totis æstatis mensibus , horti

Perpetuo lætos effundent ubere fœtus ;  
 Terrarum similes summo sole usque calentûm ,  
 Divēs inexhaustis ubi semper et ubere et æstu  
 Gleba voluptates immenso parturit orbi.

Illic , in campis nigricantibus , atque per alta  
 Sylvarum , Flora exurgit procerior ; oras  
 Arboribus tegit immensis Natura , caduci  
 Damnum ævi quæ despiciunt tumidasque procellas.

Ingenti similis , densissima Seïba , turri ,  
 Circuitu vasto centum quæ jugera inumbrat ,  
 Lata super sylvas attollit brachia , et ipso  
 Suspensam extendit sublimis in aëre sylvam .  
 Tota novis quotiès Terra est habitata colonis ,  
 Splendida quot miserâ ceciderunt regna ruinâ ,  
 Ex quo monstrum ingens , humiles natum inter ericas ,  
 Ardua longævum caput inter sidera librat !

Illic perpetuo splendentes munere Phoebi ,  
 Nobilibus plantæ excellunt virtutibus : omnes  
 Delicias superans Arabum faba , divite succo  
 Excitat ingenium , permesside labor undâ .

Parte aliâ , rubro sese arbor cortice vestit ,

Qui mihi si trépidis febris furit horrida membris,  
Præsenti expellit miserum medicamine morbum.

Ad virgulta alibì siliquas appendit odoras  
Subrepens, blandos vanilla datura sapes.  
Saltibus ipsa suis Amboïna læta superbit;  
Nostraque Bandæis nucibus conyivia fervent.

Conspicnâ insignis formâ florumque nitore,  
Virginei sensus imitatur planta pudoris:  
Quam si fors digitus tetigit levis, illa repentè  
Tota tremit, caput et replicatis frondibus abdit,  
Et ramos in se retrahit curvata dolentes.

Miramur tenues queis circùm tecta vorandas  
Exilis muscas venatur aranea, casses;  
Ipsa Dioneæ jàm cedit aranea plantæ:  
Hujus enim in mediâ folia insidiosa palude  
Nectareo sævos abdunt sub melle dolones;  
Quin etiàm occulto malefida armatur elastro,  
Quod simul ac tetigit jejuna proboscide musca,  
Muscipula obstruitur; confossaque utrinque, fremensque  
Occidit infelix geminato vulnere præda.

Sævo avertamus moerentia lumina flore.  
 Candida nyctantum capita effulsère; rubentem  
 Aureus illustrat rutilans Amaryllida pulvis;  
 Grandibus encarpis sese induit *Æschinomene*;  
 Vincaque protrudit roseas viridissima gemmas.

Densa opportunæ Tamarini lætus in umbrâ,  
 Immensò amplector prospectu opulenta locorum,  
 Spinosis ubi Cactus alit non sponte lacertis  
 Ostrea, purpureos non sponte datura colores;  
 Pendet ubi fluitans Viburnum in rupibus altis;  
 Maturis ubi jam pomis se Punica malus  
 Vestit; ubi. . . . Non cuncta queo discernere visu.

O flores tam læti, ô tam felicia poma,  
 Quot populorum animo stragem revocatis acerbam;  
 Innocuo quotiès, ô fata immania! avarus  
 Tam dulces ripas fœdavit sanguine miles!  
 O mihi si qua procùl nostris incognita nautis  
 Insula se reseret, vallem ostendatque beatam  
 Quò nunquàm impietas Europæ invaserit! Ecce  
 Audior; ecce nemus circum sublime vaganti  
 Fragrantem ambrosiis protendit odoribus umbram.



Uno è fonte duo , velut unâ è matre gemelli ,  
Desiliant vitrei prata intèr florida rivi ;  
Sub Myrthis Frigilla melos Amadiva canorum  
Fundit , et excelsæ sub Chamæropis opacâ  
Fronde micat rutili volucrum genus omne coloris ;  
Grande , Macaotes , pennis radiantibus agmen ,  
Splendida ceù nubes , Auris nemora alta relictis  
Implevit ; pars ore Cocos explorat adunco  
Si maturuerint ; summis pars altera in herbis  
Formosas est Bromelias , formosior ipsa .

Illic innumeri , Florum inter millia , nidi ,  
Auræ vitalis fervorè fovetur amico ;  
Undique commoti secùs hospita littora ponti  
Lento ægrè adrepat testudo plurima gressu .

Dilectæ Thetidi volucres , ubi Vesper olympto  
Emicat , Oceani deserta immensa relinquunt ,  
Summaque demissâ libantes littora pennâ ,  
Arboreos repetunt magno clamore recessus .

His tamèn ipsa locis densâ caligine nunquàm  
Nox lucem obscurat : simul ac enim ab æthere in undas

Sol caput abscondit , radianti plurima flammâ  
Undique planta ardet , mediisque elucet in umbris.

Tunc Malorum inter nemus aurea poma ferentùm ,  
Luciferos agitant culicum mille agmina gyros ,  
Et rapida excussis jaculantur fulgura pennis ,  
Scintillasque procùl vibrat folium omne coruscas.  
Ludo intermisso , redeunt cum nocte tenebræ ;  
Lascivoque iterùm volitante examine , lætas  
Concipiunt iterùm nemora irradiantia flammâs.

Sed neque nativo splendentes lumine noctes ,  
Nec dites Asiæ campi , Peruæve fodinæ ,  
Laude tibi certent , ô Gallia fertilis. Ipsam  
Ægyptum tu vincis , ubi tam læta quotannis  
Triplex arva seges Nilo irrorante coronat.

Ipsa etiàm regum domitrix , urbs martia nunquàm  
Marte tuo æquavit partas , ô Gallia , lauros.  
Nunquàm sequanicas dùm vere puella per oras  
Pascit oves , crocodili atras exhorruit artes ;  
Nec nemora imprudens tua dùm venator oberrat ,  
Immanem aspexit trepidusque expalluit anguem ,  
Qui trabis immensæ similis latet inter ericas ,

Atque avido assurgens reserat cava guttura rictu.  
Luxuriat pecus omne tuis in vallibus, uva  
Exquisita tuos per colles pendet, apricis  
Aureus in Rhodani ripis fluit humor oliui,  
Grandia flava Ceres tibi frugibus horrea rumpit,  
Jungit equos generosa tuos ad prœlia Mavors,  
Et procul alta tuis maria intremuère carinis.

Nobilium quàm multa geris monumenta virorum!  
Meldæus magno assurgens tonat ore sacerdos,  
Immensum è tenebris Carthesius expedit orbem,  
Ingenium eximias nostrum excoluère per artes  
Racinius, Pascal, Cornelius, ac Bolæus,  
Burdigalus legum reserans oracula Præses,  
Cunctaque naturæ pandens miracula Buffon;  
Vosque adeò quibus alta leves ad culmina Pindi  
Gratiæ iter fecère, Chorumque venusta decentem  
Sevigne inducit, cui candida epistola dextrâ.

Me juvat heroas, veterum decora alta videre  
Seclorum: hic nostris inhiantes Malleus oris  
Contundit Mauros, Carolus centum ille subegit  
Et centum valido textit tutamine Reges,  
Nec patrias unquàm leges aut foedera temsit.

Guesclinius juxtà Reges virtute supremâ  
 Eminent , integrâque fide Bayardus , et isti  
 Tu propior Catinæ ævo , sapiensque Torinnî.

O Deus , immensum justo moderamine mundum  
 Qui regis , hanc tandèm placato lumine gentem  
 Aspice , quæ miseris tot casibus acta , nefandos  
 Ingemit errores , et , avito reddita sceptro  
 Clementem memori Regem veneratur amore :  
 Optatâ cum pace , Deus , de sedibus altis  
 Virtutum nobis agmen demitte decorum ;  
 Mitte et Amicitiam , quâ non mortalibus ægris  
 Dulcius ullum unquàm munus , Deus , ipse dedisti ;  
 Lux tua consiliis præfulgeat , atque fideles  
 Recta magistratus ad verum semita ducat ;  
 Da nostri te digna canant mansuraque vates ;  
 Et nostri tua percipiant miracula Docti ;  
 Virginibus tenerum nostris infunde pudorem ,  
 Et puros animi sensus , castosque lepores ;  
 Concordi benè nupta viro , placidissima conjux  
 Ornamenta probos sibi amet pulcherrima natos ;  
 Uberibus semper nostros da messibus agros ,  
 Da semper colles tumidis gaudere racemis ;

Atque utinàm ille tuæ sol majestatis imago  
Hâc possit Patriâ nil unquàm visere majus.

Nunc saltus iterùm et sylvas subeamus opacas,  
Findit hiulca æstu dùm sol rapidissimus arva,  
Nec nisi per sylvas spatiis reperitur amœnis  
Frigus, et herbarum, zephyri cum flamine, odores.

Armeriam staticen juxtâ cistosque coruscas  
Cæruleâ viridis Veronica surgit aristâ;  
Resinosa suo se Chamæpithis odore  
Imas ad pinus prodit; lactentia acerba  
Brachia protendit viridanti Euphorbia foetu;  
Emicat inculti suavissima gemma Dianthi;  
Incultasque rubent benè olentia fraga per herbas.

Ut benè moratâ nos vivimus urbe, silentes  
Sic Plantæ inter se variis in saltibus. Ultrò  
Ad commune bonum conspirat quisque, tuentur  
Infirmos validi; patronorumque quotannis  
Ritè caput memores exornant flore clientes.

Asper acuta rubus protendens spicula, fidi

Nocte dieque vices agitat custodis, et acres  
 A plantis morsus pecudum nascentibus arcet.  
 Mille alii frutices, examen amabile, læto  
 Dant faciles foetu baccasque nucesque drupasque.

Soles post aliquos hùc undique rustica pubes  
 Certatim studiis alacris ferventibus ibit ;  
 Et croceas viridi nuculas è termite pastor  
 Demittens , animo dabit exultante puellis.

Interea celsos tollunt ad sidera ramos  
 Quercus, et Ornus Acerque, et vertice Fraxinus alto.  
 Quarum nonnullis sulcârunt fulmina frontem,  
 Ast aliæ antiquam fatis felicibus umbram  
 Extendunt, nullo nec læsæ vulnere regnant,  
 Propitiumque sibi divûm testantur amorem.

Illarum suprema inter fastigia nidum  
 AEdificat longè rivali corvus ab omni.  
 Arboreis verò foliis errantia nunquàm  
 Agmina dinumeres animantùm. Scilicet imâ  
 Ab radice ubi serpit iners Hypnum inter arenas,  
 Ad rami extremum superis qui diffugit auris,  
 Vivas mille atomos enutrit rimula quæque,

Nodum et quemque habitat plebecula plurima , primo  
Vespere quæ vitam claudet , manè orta , senilem.

Dùm lux alma datur , vitales mittit in altum  
Sylva auras, vegetantem animam queis ducimus omnes;  
Arborum enim fibris radices acribus ima  
Telluris penitùs subeunt , laticesque profundos  
Exsugunt , nubes qui deindè feruntur in altas ,  
Montanis lacubus ne linquat Oreadas unda ,  
Lætaque ut innumeris humescat fontibus arva.

Magnifici ô fluviique lacusque et stagna quieta ,  
O vestros mihi thesauros aperire virentes  
O utinàm liceat, madidosque subire recessus ,  
Ponit ubi ìmbellis placidum querquedula nidum ;  
Et vestris ortos latebris discernere juncos ,  
Squammosæque humiles hortos cognoscere gentis !

Florentes intèr felici gramine colles  
Consistamus , ubi longo sanmauria prata  
Circuitu illabens lætissima Matriona lambit.  
Illic immuneræ salices pendentibus undas  
Occultant , rectis vel tangunt sidera ramis.  
Magnificus , salicùm folia inter glanca , Cerambix  
Umbrosas roseo ripas inspergit odore.

Surgentes vitreas parte ex utrâque per undas  
 Nymphææ latis fluviale tapetibus æquor  
 Insternunt ; flore Erigeron flavente , rubensque  
 Desertas hinc indè tegit Salicaria ripas.  
 Tuque ô candentes niveo , Convolvule , flore  
 Urceolos crescendo rubos appendis ad omnes ,  
 Omniaque innumerâ vacua intervalla coronâ  
 Intexens , variis das vincula mollia plantis.

A villâ procûl haud nunquàm mihi manè vaganti  
 Se lacus incultos per montes objicit , omnem  
 Cui tegit humiferis tenebrosa vaporibus oram  
 Bruma ; sed hos postquàm radiis penetravit acutis  
 Phœbus , in aërios consurgunt undique tractus ,  
 Jamque lacus lucere , levesque evadere in auras  
 Et spectrorum instâr per sylvas ire vapores.

Splendida tùm mihi se circùm undique pandit imago :  
 Rupibus impositæ rupes in margine aquarum  
 E rimis numerosa altis virgulta sub auras  
 Exertant , viridisque cubilia mollia musci  
 Mollis hyperboreæ non vincit pluma volucris.  
 Spinosa sub aquâ levis ambulat arcula trapæ ;  
 AEolio si quis ventorum elapsus ab antro



Seditiosa lacûs miscet vada , plurimus imam  
Ad ripam ante pedes fructus mihi pellitur æstu.

Sic fontes intèr vitreos plantasque salubres  
Doctrinæ studio versari sedulus Atys  
Gaudebat , profugæque vigil pretiosa juventæ  
Lucro apponebat festinâ tempora curâ.  
Bis denos ætas vixdùm compleverat annos ,  
Finitimis circùm ille locis jàm noverat omnes  
Plantarum species ; nec eum unquàm fallere euntem  
Subtus aquâ trepidæ poterant resonante paludes ,  
Ardua præcipiti nec pendens culmine collis.  
Plantarum ille habitus oculo observabat acuto ,  
Et quod sit cuique ingenium , quo denique more  
Quæque adolescat ; ubi verò aspirante Favoni  
Molli aurâ nonnulla sinus aperire feraces  
Cœperat , ipse loco nascentem carpere florem  
Et chartâ insertum duplici exsiccare , peritus  
Naturæ formam et proprios servare colôres.

Sic Atys. Studio sed et illi insignis eodem  
Concordique fuit dilecta Lucilia amore.  
Cui decus egregium formæ excellentis , at ipsâ  
Formâ animus longè fuit excellentior. Uno

Rure utrumque tenet Morrencia Vallis, ibidèm  
 Jàm vinclo dulci conjungere utrumque parentes  
 Unanimique ipsis Hymenæus Amorque parabant.

Anno quoque diem natalem virginis illic  
 Festivis celebrare choris ludoque solebant ;  
 Tunc ludi mutare locum , sylvæque virentis  
 Frondosâ festum statuunt agitare sub umbrâ.  
 Jussus amans ornare locum , proficiscitur ardens ;  
 Consiliis tenerum variis depascit amorem,  
 Detrahit inceptis , addit , mutatque vicissim.  
 In sylvâ arboribus vacuum patet , atque per umbram  
 Circumfusam hilari spatium penetrabile luci ;  
 Hic ludit zephirum blandissima turba ; dieque  
 Vel mediâ nitet , auroræ ceu frigore , gramen.  
 Ipse altos circum ramos inflectit in arcus ,  
 Lætaque festivis intexit vincula sertis.  
 Hæc subter , viridante torum de cespite fingit ,  
 Dilectumque sibi , nivea inter lilia , nomen  
 Inscrit , faciliq̄ fluentiâ carmina venâ ,  
 Facundo nunquam cunctantia carmina amori.  
 Tunc opere ex votis perfecto , crastina lætus  
 Gaudia prælibat : quâ mente puella sub arcus  
 Ingressura , genas quo perfusura pudore ,  
 Addita quum notâ dextrâ ornamenta videbit.

Involvunt sylvam tenebræ ; tonitrusque tumultus  
 Quo dudùm reboant longinqua cacumina , multo  
 Nunc sonitu propiùs , magnoque fragore minatur.  
 Et salve , Atys ait , felix ô sylva ; beatos  
 Cras subitura tuos dilecta Luciliã ramos.  
~~Illius~~<sup>†</sup> ergò truces ventos tumidasque procellas  
 Amoveat procul et blandis Amor advolet alis ;  
 Et nullo doleat commota Lucilia casu !

Has dùm voce preces effundit supplice , nubem  
 Rupit et æthereus misèri latus abscidit ignis.

Se postquàm rutilo sol aureus extulit ortu ,  
 Continuò celeres alacri de rure puellæ ,  
 Ornatae nitidos cyanisque rosisque capillos ,  
 Vimineis cererem lectam caseosque recentes  
 Imponunt calathis , cerasorum et dona suarum ,  
 Omnia nam cerasis arva illa seruntur opimis.

Ad viridem in sylvâ lætissima ducitur arcum ,  
 Haud nempè horrendi præsaga Lucilia fati.  
 Festivos modulando sonos ad limina nota  
 Deveniunt ; ipsa ingreditur ; verùm arida subter  
 Virgulta exanguis deformem aspexit Amantem

*† Hinc pius - - - - -*

Vultu , incumbentem semiusto pectora trunco.  
 Te-ne, ait, Atys! Et ægra, amens, præcepsque dolore  
 Labitur, exanimisque, ipsique simillima morti.

Suscipiunt miseram sociæ, flentesque gravatum  
 Sustentare caput, mutosque levare dolores  
 Conantur, gelidamque invisâ abducere sylvâ.

Per menses octo, ingenti deperdita luctu,  
 Amissum infelix videt usque, usque audit Amantem;  
 Nec sociarum unquàm, nec vocem audire parentum;  
 Pectore sed tacito gerere immedicabile vulnus.

Quas modò dilectas studio dulci ipsa fovebat,  
 Non valuère hiemis Plantæ tolerare pruinas;  
 Disperière omnes. Crudeli ipsa ante senectam  
 Tabe peresa, diem modò erat subitura supremum.

Advenit ecce puer, flendò qui multa, parenti  
 Ægrotæ flores poscit miserabilis aptos  
 Qui celeri valeant morbum exegisse medelâ.  
 His ad se meminit revocata Lucilia Amantem  
 Heu! miseros nunquàm non exaudire vocantes.  
 Tunc afflicta gravi sustollens membra dolore,  
 Conatur pede non firmo se ferre per agros.

Aureus eois consurgens Phœbus ab undis  
 Luce renascenti colles spargebat ; amico  
 Experrectæ omnes paulatim sidere plantæ  
 Udum efferre caput , floresque aperire coruscos.  
 Purior ambrosiis spirabat odoribus aër.  
 Froudosis micat è latebris genus omne volucrum ;  
 Hæ per aperta petunt nidis vocitantibus escam ;  
 Illæ , dulcisono dumeta per obvia cantu ,  
 Dulcia jucundi modulantur gaudia amoris.  
 Lætantes audit gemebunda Lucilia , at ipsâ  
 Parva legente altæ miscetur salvia rutæ.  
 Hæc etiã coquit ipsa redux , ægræque salubrem  
 Dat , triduo quâ tetra lues fugit acta , medelam.

Officio jam tum generosa puella benigno  
 Mœrorem solata , Atymque imitata , virentes  
 Per campos errare , bonasque excerpere amabat  
 Queis , ut et ipse , inopi quiret succurrere , plantas.

Vos ergò per agros ite , ô quibus aspera menti  
 Tædia , vosque artis studium quibus acre medendi ,  
 O Amythaonii , juvenes , Chirontis alumni ,  
 Ite : hominum tristes miserantia Numina morbos ,  
 Pollentes plantas ad quemque dedêre levandum.

Omninò tria constituunt primordia plantas :  
 Oxygenum , Hydrogenumque , et nigro carbo colore  
 Hæc almæ diversa togam primordia terræ  
 Pictorum variis florum ornavère corollis ;  
 Diversas et opes , ut cujusque indiget usus ,  
 Diversis gênera aptando rêgionibus , aptant.

Importûna senem si quandò tussis anhelum  
 Spasmatibus crebris quatit , humectante syropo  
 Permulcens violæ sedat præcordia succus.  
 Febrili si fors plaga arserit aspera flammâ ,  
 Lilia densa levant coctis radicibus æstum.

Aspice ut ad Trojam dejectis vulnere Atridis  
 Dictamnnum medicâ fert callidus arte Machaon ;  
 Et , mora nulla , *imo stetit omnis vulnere sanguis* ,  
*Excidit et docilis , nullo cogente , sagitta.*

Divitibus dulces admota papavera in usus :  
 Quem juvat angusto sapientûm insistere tecto ,  
 Nempè superba levi somnus penetralia pennâ  
 Quùm fugeret , cruciatur ubi anxia cura sub auro ,  
 ( Quid non divitiæ possunt ! ) nova planta feraces  
 Usurpat sulcos , sensim et lactentia fundit  
 Pocula , pacaes Morphei imitantia succos.

Sicubi Sparta fuit , dictæque à Pallade Athenæ ,  
 iuxta Argos veteres , Agamemnoniasque Mycenæ ,  
 candida fragranti sese rosa tollit odore ,  
 nobilibus quondam , per se nunc nobilis , arvis :  
 hujus Reginis humor servatus in auro  
 lectareos vincit latices , quibus ipsa deorum  
 cœlestes quondam mensas regio illa beavit.

Dudum per sylvas et quæsivêre per agros  
 si qua levare gravem possint medicamina amorem ,  
 Quippè aliquas rati succis felicibus herbas  
 Aegris posse animis optatam afferre quietem ,  
 Emollire alium rigidâ asperitate superbum ,  
 Et revocare levem pristina in vincula amantem.  
 Frustrâ. Solis enim doctissima filia Circe ,  
 Vertere naturæ potuit quæ carmine leges ,  
 Inque feras jucundo homines mutare veneno ;  
 Et quæ , Thessalici succensa herois amore ,  
 Impia sopivit patrios Medea dracones ,  
 Infidum nunquam valuêre reducere amantem.

Quæ desunt , ne nos dotes quæramus in herbis.  
 Numquis eas numerare queat quibus infima abundant  
 Herbarum genera ipsa ? Humili propagine muscus

Lapponas fovet et Lapponum dulcia cervis  
 Pabula dat , nidosque avibus , cunasque sciuris.  
 Ipsi etiàm musco debentur mille colores ,  
 Splendidaque innocuæ spectacula in aëre flammæ.  
 Humida si densi viget usquàm copia musci ,  
 Illic sub terrâ vitrei latet unda fluenti.  
 Mōtib. inspersus summis et collibus , arvi  
 Labentis tenui reparat radice ruinas ;  
 Olli namque hærent pulviscula , rudera , arenæ ,  
 Arida quæ tumidæ verrendo rura procellæ  
 Circùm altos rapido sustollunt turbine montes.  
 Per loca saxorum cava , per latera ipsa , retentis  
 Ruderibus , Boreæ victricia germina aluntur.  
 Plurima ubique virent , nascentes undique sylvæ  
 Humiferos ad se sensim alliciendo vapores ,  
 Effundunt vitreos omni de vertice rivus.

Tenuia pratorumque et agrorum munera , flores  
 Pinxit acu doctâ Tritonia diva , levique  
 Longa inter filo sinuosi stamina pepeli ,  
 Purpureasque rosas et jasmina texuit alba.

His quoque cælantur Regum diademata , et ipso  
 Alta columnarum capita exornantur acantho.



Virtuti quàm multa dedit , quàm multa fideli  
Pignora amicitiae , monumentaque dulcia , Flora !  
Nobilia obscurâ quot nomina nocte laterent ,  
Immortale decus nî flosve arbosve teneret !  
Divitiæ pereunt , vis et vigor interit omnis ;  
Quod struxêre homines pede sors inimica superbo  
Proruit , ipsorumque ferit caput impia Regum ,  
Regalesque domos et signa evertit aliena ;  
Sed commissa sibi , fatorum arbuscula victrix ,  
Nomina in æternum fert , ære perennior , ævum .  
Scilicet hæc renovant verisque hiemisque vicissim  
Perpetui reditus , neque diluet ulla vetustas .

Tanta tibi , ante alios , debetur gloria , Docte  
O Linnæe , tuâ densas qui luce tenebras ,  
Ut Deus , immensamque diremisti ordine molem .  
Terræ visceribus quidquid natura recondit ,  
Quidquid in aërio tractu , vel spirat in undis ,  
Quidquid vere fovet genitabilis aura favonî ,  
Omnia tu vidisti , aliisque videnda dedisti .

# BOTANICÓN

## LIBER TERTIUS.

**Q**UUM cœlo micat æthereæ spectabile Libræ  
 Sidus, et exæquat placidas cum luce tenebras;  
 Pampineis cinctus foliis Autumnus et uvis,  
 Hortorum imperio, cedente Æstate, potitur.  
 Omnigenas, pleno quas fundit copia cornu,  
 Inter opes, risusque, et alacria gaudia, rure  
 Quàm juvat Autumni dulces traducere soles!

Vos quorum vitreis illimis Matrona lymphis  
 Lambit agros, vosque ô quos Bacchi munere dives  
 Collis alit, dictus non frustrà collis ab auro,  
 Lignea nunc resonent læto reparata labore  
 Dolia, nunc uteros nova cingant vincla rotundos.  
 Jam gravibus plaustis advecta, cadisque rubescens  
 Effusis, *spumat plenis vindemia labris.*

Aonii primus qui per juga lubrica montis,  
 Ardua Botanicam Musarum ad limina duxi,

Austeræque modos mollivi carmine linguæ ,  
Ipsius ecce iterùm fidâ cano munera voce.

Semina jàm florum quos nostra ubicumque tulère  
Arva , vides flavo nunc maturescere culmo.  
Quorum pars impunè leves agitata per auras ,  
Graminibusque diù densis abscondita , tandèm  
Germinat ; undè ultrò fruticum propago renasci ,  
Et renovare solet viridaria læta Cybele.

Cætera sollicitus vigili nisi semina curâ  
Rexeris , intereunt nullâ reparabilia arte:  
Sic ea quam miseris relegendam in messe relinquunt  
Agricolæ , nulli mox apta periret arista.  
Felices , quos sponte tulit lætissima , fœtus  
Materno indulgens Natura educat amore ;  
Non ità quos multis operosa industria curis  
Excolit. Ignavâ si fors rubigine torpet  
Vomer , moesta Ceres neglectis exulat agris ;  
Atque horrens redit infaustâ propagine sylva ,  
Lappa tenax , ebulusque nigrans , et carduus asper.

Naturam propiùs scrutari , et tollere densa  
Vela juyat quibus illa solet sua condere sacra :

In gremio florum quantâ nova semina curâ ,  
 Quantâ arte effugât , libet inspexisse. Vaterno  
 Confusa æterno qui germina prisca diremit ,  
 Et formam dedit , et certis parere coëgit  
 Legibus , ille suis habitari animantibus orbem  
 Nascentem voluit. Qui verbo scilicet uno  
 Dixit , et ecce leo desertâ irrugiit orâ ,  
 Sese aquila in superas ausa est attollere nubes ,  
 Atque erexit homo sublimem ad sidera vultum.

Sed nudi montes , importunoque paludes  
 Obductæ limo , semper deformia visu  
 Arva ostendebant. Jussit Deus , atque virenti  
 Veste velut sese lætissimus induit orbis ;  
 Jussit et ille novis terram annua munera frugum  
 Præbere hospitibus , foetusque edendo perennem  
 Quamque suo gestare sinu sua semina plantam.  
 Sic humilis viola , ingenti sic tegmine quercus ,  
 Omnis et instruitur miris genitalibus herba.  
 Nempè leves medio surgentes flore columnæ  
 Fœcunda è summo pulviscula vertice librant ,  
 Quæ super utriculos stillantia seignibus æstum  
 Seminibus vitamque per intima viscera mittunt.

Mox cadit elanguens, marcetve effoeta corolla,  
Primitiasque novi jam fas discernere foetus.

Seminibus tamen instructæ non semper eosdem  
Plantæ habitare locos debent; namque aridus illas  
Excipiet vertex, has humida ripa paludis;  
Et variis varium semen stationibus aptum est.

Montibus apricis si qua immaturiit, altas  
Alitibus similis volitare exultat in auras;  
Atque olli, quâ se tollat, data crista volucris,  
Aut levis ala, apicisve agilis plumosa supellex.  
Subtili, sic artis opus, globus aëre plenus,  
Se postquam dubio motu libravit, ad astra  
Consurgit, summoque minantia castra volatu  
Desuper explorat, trepidantesque arduus urbes,  
Hostilesque vias, artesque, minasque, dolosque.  
Quo duce, Florusis nutans victoria campis,  
Impigra Francigenam tandem vexilla secuta est.  
Seminibus, liquidas studium quibus ire per undas,  
Pro pennis diversa, levi pro casside, cymba est.  
Decedente die pars vela dat, atque silentis  
Æqua lacus, stellis ducentibus, æquora lustrat;

Cætera remigiis , adverso flumine , lembos  
Molitur , facilisve secundo defluit amni.

Sic et in oceano , plantarum plurima classis  
Immensum spatium , nullo duce , navigat , atque  
Desertis passim nova mittit semina ripis ,  
Orbis et extremos attingit denique fines.

Germina ne lædant latices inclusa , phaselus  
Undique consuitur mirâ impenetrabilis arte.  
Quin et sæpè , ut aquas aditu prohiberet ab omni ,  
Naviculæ ceram toti natura tenacem  
Illiniit. Tali defensa indumine , lata  
Flumina ceriferæ transmittit bacca myricæ ,  
Nocturnos quæ munus apum benè supplet ad usus ,  
Multaque planta suas quam læta America per undas  
Nare videt. Vos ô , sapientis libera Penni  
Progenies , facili dùm pax favet alma labori ,  
Fœcundæ telluris opes expromite ; opimos  
Vastorum viridi Fluviorum in margine , et altis  
Mille jugis latè circum quæ vestra coronant  
Arva , manu haud segni , tàm ditia mûnera , fructus  
Colligite , et nobis vitalem emittite ad usum.

Jàm nostri passim ornantur splendentibus horti  
 Asteribus ; jàm magnifico sub tegmine euntes  
 Cedrorum , vacuis vestra acta evolvimus horis ;  
 Hùc tàm multa venit vestris è saltibus arbos ,  
 Ut , sæpè insidens peregrinâ Gallus in umbrâ ,  
 Nesciat in patriâ ne , recenti an vivat in orbe .

Delicias inter quas copia tanta novorum  
 Præbet alumnorum , venturi cura sit anni .  
 Qui dudùm inclusus cellâ interiore jacebat ,  
 Nunc fugiente , solum florale revisere , somno ,  
 Bulbus avet : certo quod nuntiat indice gemmans  
 Summus apex , frondesque novas jàm sponte virescens .  
 Ne brumam expécta . Læti blandissima turdi  
 Vos ubi ad attentas in sylvis personat aures ,  
 Splendeat in manibus rastrum , floresque futuros  
 Defossâ accipiant apta incunabula terrâ .  
 Ordine quodque suo genus hîc depone : reclinem  
 Narcissum , et croceam quæ multum fundit odorem  
 Jonquillam , et miseri heu ! pueri monumenta Hyacinthos .

Flos thalamo tàm quisque repullulat ; atque parentem  
 Undique præcingit natorum densa corona .

Nunc etiàm sese nobis olitorius hortus ,

Optima commendat virtutis imago modestæ.  
 Quot namque areolis accepit idonea cultis  
 Semina, coliculi totidè m nunc undique surgunt ;  
 Quotque in flore novo poma induit, utilis arbos  
 Tot matura tenet pendentibus undique ramis.

Gallica si qua olim celebravit versibus hortos  
 Musa, diu passa est insani tædia fastûs ;  
 Nec sine circuitu verborum dictus inani  
 Faseolus, spiris ramo innectentibus hærens ;  
 Daucus et auratus, rubicundaque Beta superbam  
 Aurem offendebant, quantumvis grata palato.  
 Non ita nunc; Musæ nec dedecus afferet ullum  
 Agresti, solidum si crispa tumescit in orbem  
 Brassica, ab Insubriâ nobis transmissa feraci.

Forsitan inductis Apium mitescere fossis  
 Disceret et candere, Rumexque extrema viarum  
 Ordinibus longis ornare, virereque ad undam  
 Scandix; hibernoque ad murum sole rëfota,  
 Primo vere daret frondes Lactuca tenellas.  
 Non verò tam multa decet tentare; venustas  
 Haud rudiore aliquot describere carmine plantas  
 Sit satis: instar apis temère huc volitantis et illuc,



Candida nunc inter gelsimna , novosque dianthos ,  
 Me juvat hortorum comptos cecinisse lepores ;  
 Nunc saltus sequor umbrosos veneresque remotas.

Vos , loca qui tepido recreatis frigida flatu ,  
 O Gnomi , Sylphique , virens quos detinet umbra ,  
 Antrorum convexa ulmosque relinquitte celsas ;  
 Vosque levi pennâ tenuissima turba deorum ,  
 Manè leves roseo qui spargitis æthere rores ,  
 Et levia aëriis agitatis nubila in oris ,  
 Semina fungorum , cunctos fallentia visus ,  
 Per placida occultâ nemora , ite , inspergite dextrâ.

Mortales oculos hebetans , nox humida velis  
 Lascivosque deos operit magicumque laborem.  
 Cuncta sed exoriens sol detegit : undique surgunt  
 Cauliculi sine flore ullo , sine fronde ; sed omnes  
 Protecti lato orbe caput , variique colorum.  
 Pars diversa locis , soli in stationibus astant ;  
 Verùm alii , ut fratres decet , unâ in sede morantur ,  
 Atque ulmos inter muscosas agmina amica  
 Conspexisse juvat , sociataque castra. Sed hostis  
 Jàm terebrâ tentare ipsos non unus , edaxque

Immisisse genus. Prædâ properemus opimâ  
Antè frai ; nihil est BULIARDO dante timendum.

Fumosâ indutus tunicâ , Boletus edulis ,  
Candida nectareo præbet pulpamina odore.  
Campestres illic , epularum gaudia , crescunt  
Agarici , quos sæpè suis ars imperat hortis ;  
Hic inter varias Albellus pullulat herbas ,  
-Atque Aurantiacus posuit tentoria dives.

Lenæo dilecta filix , invisâ sed almæ  
Frugum inventrici , mediis nunc floret in arvis.  
Cujus in exiguis abscondita semina nodis  
Ostendisse libet sub fronde hærentia ; at alto  
Intonuit latè tempestas horrida cœlo :  
Insani vada commôrunt Neptunia venti :  
Infremuère procul freta ; terrificoque fragore  
Fumosi feriunt spumantia littora fluctus.  
Nunc properemus ; opes nunc vastâ effundit in ora  
Oceanus. Tantas numquîs penetrare sub undas  
Atque profunda queat miracula tangere , ab inis  
Nereïdum nisi tempestas avulserit arvis !

Nosra quot effulgent per prata , tot æquore in illo  
Pubescunt varii variâ propagine flores.

Quùm diversa novâ per pontum corpora formâ  
 Condedit, ipsa etiã Fucos natura marinos  
 Per caulim voluit vesci, radice carentes ;  
 Viscoso circùm perfusi glutine, summos  
 Apprensas strictim per caules rupibus hærent.  
 Expedi his omnis locus: innascuntur in omni  
 Rudere, cæruleæque inter laquearia divæ ;  
 Insiti et in rutilis conchilibus, ardua circùm  
 Saxa simul dorso scopulosque veluntur opaco.  
 Nullâ ope multi alii, super æquora salsa natantes,  
 Insternunt viridem oceani per summa tapetam :  
 Tercera gramineis ita cingitur insula zonis,  
 Tercera, vicinæque aliæ, quibus imperat, octo ;  
 Sæpè ubi tristis hyems tempestatesque sonoræ.

Ut splendere dedit Fucis natura marinis,  
 Sic illos non ulla potest abolere vetustas.  
 Avulsos postquàm violentia rupit aquarum,  
 Oppressitque diù sterili ingens agger arenâ ;  
 Si tetigit fluctus, mora nulla, erumpere rami  
 Surgentes, jàmque ipsa novis revirescere gemmis  
 Planta, novosque natans agitare per æquora flores.

E pelago egressi, jàm nos orientis in oris

Quæramus nova per medias spectacula terras.  
 Impigra mens levibus pennis exurgit, et omnes  
 Antiqui tractus volitando amplectitur orbis :  
 Nunc Germanorum mores observat et urbes ,  
 Sarmaticosque audit gemitus , fecundaque latè  
 Littora miratur quæ Volga interfluit ingens ;  
 Cernit et eximias Thibeti in montibus herbas ,  
 Parcarum tacitâ quæ vim virtute repellunt ;  
 Sinarumque sequens longum rapido impete murum ,  
 Ulteriore hilaris tandem requiescit in orâ.

Hic bis quinque virûm sublato millia signo,  
 Agminibus variis colles atque avia lustrant  
 Arvorum , villas non vastatura nec agros ,  
 Nec prædas nemorum è latebris raptura cruentas.  
 Montibus in vestris ergò , genus omne ferarum ,  
 Dilectas intèr socias , prolemque tenellam ,  
 Pascite , securosque agitate per otia ludos.  
 Bellica turba nihil, nunc pacis amica , silentes  
 Per sylvas quærit, nisi plantæ munera opimæ.  
 Hunc et in abrupto torrentum margine , et imas  
 Ad rupes , et saxorum in radice minantùm ,  
 Aut nemore in medio, foveæ vel ad ostia cæcæ ,  
 Inveniunt panacem optatum , facilique resectum

Indicio ; radii nam tres in vertice summo ,  
 Quorum quisque caput folio quino impare inumbrat.

Autumni ex ortu, rigidæ usque ad tempora brumæ,  
 Iudesssa phalanx deserta immensa peterrat ,  
 Et carptis opibus telluris onusta , peracto  
 Munere ovans , sese reginam vertit ad urbem.

Intereà mutata novos natura colores  
 Induit; antè errans, primo sed frigore pressus  
 Humor plantarum, vario diversa rubore  
 Illustrat folia, et nemorum vela inficit auro.

Conspicienti âcerem præcelso in vertice montis  
 Splendere auricomò tùm sole videbitur arbos.  
 Hoc verò tantum decus, ornamentaque tantâ  
 Non mihi tam rident, viridis quàm dulcia veris  
 Tempora; nam tristem fugitivâ abscedere pompâ  
 Autumnum reputo mœrens ac multa revolvens.

Vallibus in mediis, sinuoso ubi densior anem  
 Labentem insequitur flexu vapor, humida flores  
 Nunc quoque, pallidulos sed fundit frigore tellus.  
 At seræ, collis jûga per declivia, plantæ

Umbellas gelido curvant horrore rigentes.  
 Hic surgit luctus, Scabiosa, fidelis imago :  
 Nulla infelici planta est tam dulcis amanti ,  
 Namque procellosis ipsa est obnoxia nimbis.

Te si fata , mihi si te nimis aspera fata ,  
 O dulcis conjux , rapuissent. . . si qua parentis  
 Ira domo, ô superi ! tenerum amovisset amantem ;  
 Te ve sacris , ubi nunc sola atras noctua voces  
 Necquicquam ingeminat , claustris vovisset... at ecce  
 Vivis , Elisa ; mea es , mea dulcia gaudia sola es.

Per medios urbis strepitus , tranquillave ruris  
 Otia , semper ades mihi tu , comitaris et absens.

Multa observanti si quæ mihi digna videntur  
 Queis mentem advertas nec inanem , curo ferenda  
 Lætus. At innumeras nunc undique cerne volucres  
 Hæc procul è regione simul migrare parantes :  
 Scilicet à plantis atque autumnalibus illæ  
 Indiciis ad iter tantum , anno quoque , moventur.

Nam tempestatum simul ac , et munere solis ,  
 Venturis avibus stat copia certa ciborum ;

Tum libycis illæ certatim excedere ripis ,  
Et petere aërio borealia littora cursu.

Dispositas at ubi variis regionibus escas  
Consumpsere, fugam parat undique quisque; tumultus  
Undique, conventusque; cohors tum quæque vicissim  
Avolat, atque uno procedens agmine, lætas  
Non intermissis repetit fervoribus oras,  
Quò vocat immensis nova jam seges aurea campis.

Nunc etiam timido pulli per inane volatu  
Pennam agitant, nec iter sed enim novere paternum;  
Sæpius et querulam ducentes gutture vocem,  
Respiciunt natale nemus primosque penates.

Dilapsis avibus, pomorum cincta coronâ  
Pomona ecce venit, spemque anni fertilis implet.  
Undique concussâ creber pluit arbore fructus;  
Malorum aggestis jam torcularia acervis  
Exundant, cupæque, et dolia cuncta; gravique  
Sub molâ obteritur per gyros dulcis eunte  
Copia. Cur succum, quem non benè nôrat, amaris  
Vocibus, Aiâci facundus præco Lycei,  
Campanæ gentis mores oblitus avitos,

Increpat? Ille suas ad cœlum laudibus uvas  
 Tollat, et ambrosium spumosâ aspergine odorem:  
 Mali felicis generose ô Nate, virile  
 Illi infudisti Normanno robur, adustis  
 Qui ratibus fidens domuit fera corda Britannos.  
 Ipse tuâ virtute vigens Cornelius altam  
 Melpomenæ erexit parisino in littore Scenam,  
 Digna que Romanis depromsit carmina gestis,  
 Romanosque dedit nobis audire vel ipsos.

Dulcia tu reddis torpentis gaudia musæ,  
 Spuma tuo si candidior super infremit auro.  
 Quæ fallente mero redit usque, et sævior ardet,  
 Te, mora nulla, fugit rorante exterrita febris.

Agricolæ non continuâ, quæ te dedit, arbor  
 Curâ eget; ipsa sibi satis est, opis indiga nunquàm;  
 Tàm multos, nullo auxilio, dat prodiga foetus.

Gaudet et ipsa Ceres hâc arbore; namque sub umbrâ  
 Ramorum, felix contemnit arista procellas.  
 Ergò dapem nobis ager idem et pocula profert.

Salvete, ô densæ queis gaudet Neustria, mali;



O utinàm vestri latices mihi , nectar avitum ,  
Si contemptoris maledicta proterva refelli ,  
Explevisse meum dent , nec sine honore , laborem !

Dilapsæ longo Sylvarum in margine frondes  
Instravère vias , imisque paludibus humor  
Emanat tristis , brumasque inducit opacas ,  
Immensisque operit mœrentes nubibus agros ,  
Et se lugubri texit velamine Phœbus.

Quem frustrà lachrymans et supplex terra precatur  
Maturare pigros fructus et semina sera.  
Non maturescent ; impuro namque nefanda  
Mucore infecit putredo cuncta , nec ipsos  
Pendientes ramis fructus obscœna celoeno  
Abstinet foedare , cavâque abscondita capsâ  
Semina , turgidulâ jàm lactescentia pulpâ.

Pestem verò istam natura aliquando repellit.  
Cæruleo splendore polus , blandique calores ,  
Sudus et à zephyris aër libratus amicis ,  
Cuncta fovent lætos , ut verno tempore flores ;  
Cuncta mihi per agros , ut verno tempore rident.

Nonnunquàm infausto terram quoque vidimus æstu

Torridam, et Autumni per tempora tota salubres  
 Necquicquàm roris latices pluviasque rogantem :  
 Funerei cœlos obscuravêre vapores ,  
 Ipse quasi extincto deformis sidere , Titan  
 Lugubri infandùm ferruginè squalluit; altas  
 Unda tumens pelagi spumescere semper ad oras ;  
 Plura polo nunquàm cecidêrunt fulmina , et atris  
 In noctis tenebris horrendæ arsère cometæ.

Germani magno Iberique timore pavebant ,  
 Quum vestræ, miseri, tristissima fama ruinæ,  
 O Calabri, advenit. Vastâ sub mole Vesevus  
 Ecce furens iterùm horrendo mugire fragore ,  
 Et fumum ingentem ad nubes piceamque procellam  
 Ignivomosque imbres barathro eructare tonanti.  
 Protinùs erumpit magno impete flamma , reclusis  
 Culminibus , longoque rubentia turbine lambit  
 Sidera ; tùm liquefacta imo de gurgite saxa  
 Surgere , et è mediâ pulsata tonitrua terrâ.  
 Sulphur et exundans ardenti mole bitumen ,  
 Amne simul rapido , montis latera ardua sulcant ;  
 Et valles ineundo cava , imitantur averni  
 Tartareosque lacus phlegetonteumque fluentum.

Antiquas horrenda tenent incendia sylvas ;  
 Sæpè feræ notis pavidæ insistendo latebris ,  
 Antè pererratis relegunt vestigia retrò  
 Tramitibus , pulsæ propioribus undique flammis.

Tristi monte procul , tectisque ardentibus , ipsi  
 Pallentes fugère homines , et passibus errant  
 Incertis : titubans ætate metuque senectus ,  
 Labentem adjutans uxorem sponsus , et ulnis  
 Spem solam , natum mater complexa tenellum ;  
 Frustra : nam rapido maris unda fragosa tumultu  
 Devastata novas infert in littora clades.

Mota Apennini juga contremuère ; profundis  
 Visceribus fumos vomit undique terra dehiscens ;  
 Ipsaque quassa ruunt firmissima mœnia , et imos  
 Ad manes vastâ lapsa oppida tota ruinâ.

Fortè erit , attoniti , post sæcula multa , nepotes  
 Ut tandèm mole inveniant oppressa sub altâ  
 Oppida , templa , domos , decorata palatia magnis  
 Porticibus , mirabilium monumenta laborum.  
 Sic apud antiquam , fortis quam condidit olim  
 Alcides urbem , simili quæ postea clade

Corruit, insignes ipsi invisisse ruinas

Imus, et effosso veterum studuisse labori.

Quid de tot miseris quos tanta ærumna reliquit ?

Per loca pumicibus fumoque et plena favillâ,

Cuncta ubi combustis arserunt horrea granis,

Desertos per agros, perque arida prata, juvencos

Agricola inquirit necquicquàm; torrida nullus

Arva eheu! superest duro inversurus aratro.

Nil opis, ac misero spes nulla. Dapem unde gementi

Uxori inveniet prolique? An quercubus ibit

Concussis pastum in sylvas? At ubique nefanda

Horrendis grassata modis tempestas; tristis et arbor

Ærumnam cumulat, radicem ambusta vel ipsam.

Tunc cineres inter, laceris circumdata pannis,

Apparet miseranda fames; erransque per agros

Perque urbes, primùm angustis irrepere tectis,

Deinde superbarum transgressa quoque alta domorum

Limina, in auratas penetrat penuria sedes.

Interèa immites Erebi Ditisque ministræ

Æra lethali totum inspersione veneno.

Spasmata jam crebræ quassèrunt tussis anhelum

Pectus; ubi verò lux altera nascitur, ardens

Halitus incensis ægrè pulmonibus exit.  
 Nullus non crepitat contracti corporis artus ;  
 Nec tantis tamèn expuitur conatibus humor.  
 Seditioso igne excandescunt ora ; sed imis  
 Vix ire in venis torpenti sanguinem inertem  
 Pulsu credideris. Pondus tenuissima vestis  
 Immensum. Occluso flagrat ærea clava cerebro ;  
 Atque intestino vis morbi accensa furore ,  
 Vultur ut immanis , lacerat præcordia. Sævam  
 Post noctem , horrendo quæ tam diuturna labore est ,  
 Nigret lingua , color pallenti lividus ori ,  
 Omniaque in misero sunt mortis signa propinquæ.

Tu miserum, tu nunc etiàm , spes alma, relinquis ?  
 Uxorem jam non audire , aut noscere natos.  
 Devia mens , febris rapido exagitata flagello ,  
 Se scandisse putat flagrantis in ardua montis  
 Culmina , se ve profundi in gurgitis ima revolvi ,  
 Et fremit immani maris æstu exterrita. Tanta  
 Affinis lethi sequitur deliria torpor.  
 Frigidus obsistit sanguis , fatoque supremo  
 Lumina clauduntur quartæ finem ante diei.

Hei ! loca felici quantum mutantur ab illo.

Littore , ubi villas dites atque oppida læta  
 Et nemora assidui florentia munere veris  
 Non poterat satis admirans spectare viator !

Anno bis foetus ovis edere læta gemellos ,  
 Ingentes bis agro solitæ flavescere messes ;  
 Melleus ex ornis labi liquor ; atque beatos  
 Usque renascentes fructus ditare colonos ;  
 Effluere usque gravi plenissima copia cornu ,  
 Concentusque chorosque cière amor atque voluptas.  
 Pastorum semper resonare canoribus Echo ;  
 Rupibus è mediis fecundæ assurgere vites ;  
 In testudineum sese curvantia dorsum ,  
 Umbrâ et odore vias hilarare virentia sempèr  
 Gelsimina et lauri ; variisque canalibus undæ ,  
 Hinc atque indè , velut latos errare per hortos.

Heu ! quantùm subitò exitium ! quàm lurida pestis  
 Tàm læta invasit loca ! Tetro è sulphure nigri  
 Torrentes , piceo ferventes igne favillæ ,  
 A Superis omnes emissæ Acheronteque Diræ  
 Tàm læta horrendo loca mutavère sepulchro.

Haud secùs imperio in magno , cui splendor inanis ;

Præcipuum at columen , populo esuriante , fatiscit ;  
Regia deliciis luxuriat , atque feroces  
Exultant opibus proceres , plebique gementi  
Illudunt ; miseros at desperatio , et imis  
Pectoribus fervens furor extrema omnia suadet.  
Erumpunt subito ; ingentes cecidère colossi  
Qui pressam urgebant graviori pondere terram ;  
Fundamenta ruunt regni convulsa vetusti ,  
Horrendâque pios ipsos traxère ruinâ.

EXPLICIT LIBER TERTIUS.

# BOTANICÓN<sup>A</sup>

## LIBER QUARTUS.

**L**ONGO immensarum densa undique Nubium amictu,  
 Tristis Hyems fœdo nunc sævit in æthere; læti  
 Nunc anni periit labor; et stridore frementes  
 Horrisono venti glaciem advexêre nivemque.  
 Nullum avium melos; hibernos exterritus Euros  
 Fugit amor. Blandis Tityri pro cantibus, atque  
 Lusciniaë dulci modulamine, tristis aquarum  
 Spumantùm fragor et caurorum inamabile murmur.

Horrendas intèr mihi, musa, serena procellas  
 Aspira; jam non rosa nec fragrantia frontem  
 Gelsimina exornant; nemora infestantur et horti.

Quorum relliquias nudata per arva furenti  
 Turbine miscet agens Boreas. Tu, docta precanti  
 Diya aperi quæ vis ita nunc spoliare trementem



Naturam valeat , lætosque abolere colores ,  
Motoresque (1) animos tristi vincere veterno.

Coeli muneribus , primo ortu , prædita cunctis  
Terra , propagandæ perceperat omnia vitæ  
Germina . In his tacita et nondùm discreta latebat  
Copia succorum qui mox sublimia celsam  
Cedrorum capita ad nubem evexère ; et in illis  
Non tantus , magè sed nostris accommodus oris  
Humor , graminibusque et flavis messibus aptus.

Illa tenebrosis torpentia germina in alveis  
Lætum expectabant , sese expansura , calorem .  
Indidit hunc terræ de summo Phœbus olympo  
Illabens ; placito terra exultavit amore ;  
Totus et ingenti celebravit gaudia plausu  
Mundus , ubi deus æterno splendore refulgens  
Sponsæ impertivit decus immortale recenti.

Quæ quotiès propior ferventi advertitur axi ,  
Graminaque et flores immensoque ubere foetus

---

(1) Vertuntur species animorum. VIRG. Géorg. l. I.

Parturit innumeros , radiis nempè excita blandis.  
 Quùm verò , quæ jussit iter , suprema potestas  
 Felici è centro cogit discedere ; tristi  
 Nullus honos , vis nulla ; effluxit decolor ægræ  
 Fronte corona. Truces , quos Phœbi lucida longè  
 Arcebat facies extremis orbis in antris ,  
 Cùm fremitu venti erumpunt , tristesque procellas  
 Atrasque inducunt nubes gelidasque pruinas ;  
 Et quæ felici decorabant tempore terram ,  
 Nunc plantas adigunt remeare in viscera terræ ,  
 Et sese tanquàm tristi occultare sepulchro.

O qui divitias immòto lumine falsas  
 Temnitis , et modicum propriisque laboribus hortum  
 Incolitis , nutans nunc lento arbuscula junco  
 Custodem ad murum stringatur , et utilis ipsa  
 Ferri acies curvî ramos præcidat inanes.  
 Hæc satis. Infestæ dùm vos circum ira procellæ  
 Ventorumque furit , vos tuta per otia avitis  
 Sub laribus , veterum attentâ præcepta virorum  
 Mente revolyetis , docili ve sonora canentes  
 Carmina voce , etiàm seclis victura futuris  
 Carmina fors ipsi vos invenietis. O ignis  
 Phœbei monumenta , mihi si quando silentes

Vobiscum vigilare datur fausto omine noctes,  
O utinàm vestro mea mens accensa calore  
Non indignum aliquid vobis, majusque sepulchro  
Concipiat! Tuque, alma quies, sublimium amica  
Spirituum, mihi rûnores averte malignos,  
Et frustrà urbanos aditus, vacuasque loquelas;  
Divinus quippè his afflatus rumpitur. Arctam  
Claude domum, soli pateat mea janua amico,  
Si quis corde pius, sermonibus utilis, ægris  
Temporibus blandâ præbet solatia mente,  
Me, duce naturâ, naturam attollit ad ipsam,  
Ipsiusque aperit nullo conamine leges.

Si quos aspexit placato lumine Plutus,  
Illis usque virens et blando suavis odore  
Arbor, ab Hesperiiis rapuit quam strenuus hortis  
Alcides, gelidæ tribuet per tempora brumæ  
Vestibulo in tepido magna ornamenta. Metallis  
Omnibus ut nitidum splendore supermicat aurum,  
Arboribus cunctis ità prænitet aurea malus.  
Sola etenim matura simul nascentiaque offert  
Poma, et perpetuos florumque et frondis honores.  
Nec pelagi tumidis expurgatum ambar in undis,  
Nec cyprio quem misit amor de littore myrthus,

Blanda nec eoaë Tithonidis aura , fragrantem  
 Quo malus nare's beat illa , exæquat odorem.  
 Olli inconcusso stat robore longa juvenus ,  
 Ipsa videt patres natosque senescere , et imo  
 Quemque , annis sensim labentibus , ire sepulchro ;  
 Unaque Versalicis etiam nunc floret in hortis  
 Quæ duodenorum spectavit funera Regum.

Haud procul à tectis, hibernat ubi aurea malus,  
 Exurgat vitreæ spatium sublimius ædis  
 Cujus et australes et eos lucidus unà  
 Frondentes oculis paries ostendat alumnos ;  
 Qui semper tepido nati sub sole , nequirent  
 In nostrâ sine vulcano consistere terrâ.  
 His ergò noctuque diuque hypocausta per ædes  
 Incaleant , longique pari circùm igne canales  
 Suppeditent æquum noctuque diuque calorem.

Tempore sic etiã quo tristia rura pruina  
 Infestant , varios ut verno tempore flores  
 Offeret , et blandos ut verno tempore odores ,  
 Plurima in angustâ glomerata arbuscula cellâ.

Hæc ut naturæ , sic artis regna ; peritus

Ergò bene hic statuet spirantia signa Lysippus :  
Juxtà opportunæ procera umbracula Musæ  
Nos juvat immensæ sinuosa volumina pallæ  
Ostentantem Asiam spectare , micantiaque auro  
Tempora , et innumeris gemmis , tumidisque pyropis.

Africa , quà multos posuisti ipsius alumnos ,  
Nigranti vultu , ferè nuda , habituque feroci ,  
Nec lasciva minùs , nec ineptos addit honores.

Præcipuo cellæ decori genus omne virentùm  
Plantarum , fructusque novi , diversaque florum  
Copia. Ab extremis immensi finibus orbis  
Hùc accerse theam Sinarum , herbamque Paranæ ,  
Et suaves Libyæ lotos , ananæque corollas ,  
Atque anthophyllon Molucarum , Amyrinque Sabæam ,  
Juniperum ante omnes illam unde emanat opimi  
Thuris honos , castâ qui cum prece ad ardua cœli  
Tollitur , atque Dei mulcet placabilis iram.

Hospitibus teneris vitis conjuncta , racemos  
Undique pendentes ostendit ; et ipsius inter  
Radices fraga orta rubent ; brumæque furentis  
Secura , ipsa suos prodit rosa multa colores ,

Nix cadit intercà noctuque diuque; at odoram  
 Sylvestris, stimulante fame, mus obsidet arcem,  
 Circuitu assiduo viridantia limina lustrans,  
 Seque adeò exagitat partem indefessus in omnem,  
 Atque, ubi læta suos traxerunt poma colores,  
 Assilit, arripiens avido nihil ore repulso.

Ast ubi hyperboreas Obius se vertit ad oras,  
 Nil plantis illic aut vitrea cella vel ignes  
 Proficiunt. Illic nulla arbor crescit; at ipsa  
 Betula nana, salixque ad terram herbacea reptant;  
 Vix nostros humilis supereminet utraque juncos.

Nunquàm illic menses per senos discutit umbras  
 Phœbus, et ægrè alios pallenti sidere menses  
 Illucet. Venti usque truces, tetricæque pruinae.

Dura crepant lacubus solidis vestigia, et arcto  
 Inclusi nequeunt innare in carcere pisces.

Turbinibus rapidis altas sublata per auras  
 Nix ingens, cumulo valles revoluta replevit.  
 Instabili infelix immersus gurgite cervus

Eluctatur iter necquiquàm aperire ; per ima  
Labitur , et niveâ procumbit mole sepultus.

Ipse , caput quatiens , villisque rigentibus ursus  
Horridus , immanem rugitu ingente procellam  
Indignans , tardis muscosum passibus antrum  
Quærit , ubi latitans , et cæcâ solus in umbrâ ,  
Absque cibo , quàm longa fuit bruma aspera , torpet.

Nos verò audaci deserta cacumina gressu ,  
Extremum arctois quæ cingunt finibus orbem ,  
Tentemus. Pelagi quàm formidanda minacis  
Illius facies , tetro irrequieta tumultu !

In chaos antiquum confundi cuncta , trucesque  
Dixeris Oceano tàm fœdo habitare procellas.

Heu ! miserum impavidis qui talia navibus ire  
Per maria ausus erit ! Rapido nam vortice prora  
Allisa ad scopulos , inimicas accipit undas ,  
Immanesve inter glacies , imitantia ferrum  
Æquora , funereis consistit vincta catenis.

Lumine tunc ursi torvo spatia illa marini

Lustrantes , latè horrendis mugitibus auras  
 Incutiunt; quibus , in densis exterritus umbris ,  
 Instantem propiùs præ sagit navita cladem :  
 Dulcia si qua domi , periturus corde revolvit.

Tanta pericla tuum triplici , Dux magne , triumpho  
 Ingenium vicit , placidâ qui mente novarum  
 Terrarum tractus quærens hominumque novorum ,  
 Et pelagum à Libyâ gelidam permensus ad arcton ,  
 Orbem invisisti , majoremque ipse videndo  
 Fecisti. Primus tu australem audacibus axem  
 Circumiens ratibus , glacierum et longa secutus  
 Mænia , et ignotis freta formidanda barathris ,  
 Frigoris impavidus penetralia ferrea adisti.

Nullum illic animans ; spatium sed triste , geluque  
 Concretum : rigidas volucris nulla audet in auras  
 Tollere se pennâ , nisi sola assueta procellis  
 Quæ tulit inde suum , volucris tristissima , nomen ,  
 Per deserta ferâ stridens horrenda querelâ.

Ast ubi pax habitat , felix ibi vita. Furentis  
 Verberibus jacet assiduis obnoxia brumæ



Insula : diverso genere hinc animantia visus  
Nunc etiàm recreant felicis imagine vitæ.

Littus, ubi apparent vix gramina rara, frequentant,  
Cærulei quondam Protei gens humida, Phocæ,  
Densa quibus per colla fluit juba, more leonum;  
Insulâ at in mediâ Phocarum immota morantur  
Agmina, queis ursi nomen fecêre; et arenis  
Mobilibus mancæ committunt ova volucres.

Quas inter nullus pavor, ars et nulla nocendi;  
Fœdere tanquàm omnes inter pax icta maneret.

Reginæ aurarum sublimes cædibus ipsæ  
Abstinuère; altâ riparum in rupe sedentes  
Fulmineo volucrem circà non lumine terrent  
Ludentem. Sed homo sub amico atrocia sole  
Bella infert homini, cererisque infesta per agros  
Agmina castra tenent; sulcat globus arva cruentus.

Non iræ pelagi immanes sat multa parabant  
Funera: homo secum jam funera plura carinis  
Invehit; et donum cœli vitale, per artem  
Heu! nostram, irato fit fulmine sævior ignis.

Alter et Icarius de summâ prælia nube  
Imperat , et miseræ dat signa infanda ruinæ.

Hic atra invidiæ pallentis dextra venena  
Comparat , hinc tectâ vigilat fraus impia sicâ.

Ora scelus centum , centum fraus impia vultus  
Induit ; atque inter fraterno obeuntia ferro  
Millia , fraternis et saucia millia telis ,  
Illorum numero , simul et cruciatibus horum  
Gaudet Erynnis ovans ; homines itâ tetra malorum  
Quæ coluère metunt , propriis nempè artibus ægri.

Dona tamen Cereris vastati tertiâ mundi  
Pars adeò ignorat , neque mittit ad horrea dites .  
Tâm multas adeò ullus ager quàm posset aristas ;  
Nec gens ulla suos discit quàm multa per agros  
Et nemora et valles lateant felicia dona.

Mitior et quantò sapientior illa ferorum  
Gens hominum , ingratas Asiæ quæ dicitur oras  
Incolere , unde arcti tumidas ultrâ æquoris undas  
Proxima prospicere est Americæ littora ! Rectæ  
Naturæ docilis gens illa ediscere gaudet

Quidquid plantarum profert sua terra , suamque  
 Progeniem docet atque habitus et nomina vimque  
 Insitam. O Europæ crudeles impia gentes  
 Projicite armâ manu tandem. Aut si nulla flagrant  
 Otia ferre animi possunt , certamine pulchro  
 Quærite virtutemque artesque beataque fata.

Dissidia hæc tandèm jaceant civilia ; et almæ  
 Commoda naturæ miracula discite , Doctis  
 Quæ non vana offert succensâ Chymiaflammâ ;  
 Jàm vobis magicâ dextrâ ingeniosa poësis  
 Myrthos Aoniâ laurosque insevit in orâ ;  
 Vobis quæque parat sèmpèr nova gaudia musa.

Deliciæ ingenio quantæ , quùm summa tuetur  
 Sidera per latos jusso labentia cœlos  
 Ordine , metiturque ignotaque , ut Herschelus , astra  
 Detegit ; inque Deo , defessum luce , quiescit !

Sin , tentare viam ne possim ad limina cœli ,  
 « Frigidus obstiterit circùm præcordia sanguis ;  
 » Flumina amem sylvasque » : imâ sub rupe , latentis  
 Audiam inexpletâ modulamina Aëdonis aure.

O nemorum sonitus , sylvarum ô umbra silentium ,  
 Vos mihi deliciæ , mihi semper adeste canenti.

Post sævas noctes quæ brumâ horrente rigescunt ,  
 Udis austrorum putrescere campus ab auris ;  
 Consimili cunctos quæ colles vestit amictu  
 Nix labi sensim , longosque emittere rivos ;  
 Tùm tumidi horrendis glacierum molibus amnes  
 Rupta vehunt magno mugitu vincla ; sed omnis  
 Nondùm cessit hyems : sordescit squallida sylva ,  
 Ardua nudato lachrimatur vertice quercus.

At nonnulla tamèn , triste inter vulgus , amcenâ  
 Fronde virent. Blando salvete arbusta colore ;  
 In tanto mea vos recreatis lumina luctu.

Ut nonnulla seni rident quoque dulcia , sic vos  
 Mœsta tenebrôsæ mulcetis tempora brumæ.

Vos mihi , vos animum nunc instaurate trementem  
 Tanta pericla viæ quam , multa per ardua , primus  
 Tentavi , arctoas glacies , pelagumque sonantem ,  
 Extremoque austri furibundas axe procellas.

Si quis non magno , brumæ per tempora , sumptu  
 Circùm ædes arbusta velit viridantia semper  
 Cernere ; nil Cafris , neque Sinis irroget ; ipse  
 Vicinâ è sylvâ , flaventi stipite buxos ,  
 Ilicem aculeolis inter rubicunda coralla  
 Hirsutam , et ruscum florenti fronde rubentem  
 Extrahat , et sese non fluxâ recreet umbrâ . -

Stagnorum Alnus amans, Corylusque, et Betula candens  
 Agrestes etiàm decorabunt agmine scenas ;  
 Quæ , simulac hiemem Boreas frigusque reducens,  
 Verticibus folia excussis nudavit ; oborti  
 Expediunt sese flores , et multa corolla  
 Mobilibus se folliculis dat pendula in auras.  
 Laureolæ quoque sub nivibus traxère colorem  
 Daphnides, Helleboroque virescere et ipse Decembris  
 Gaudet. At his florum properis ornatibus alta  
 Centimanûs hederæ præcellit copia ; siccum  
 Seu longævæ Orni latâ caput obtegit umbrâ ,  
 Seu veteris viridans extremo in culmine tecti ,  
 Ramorum et longos inflexa per aëra tortus ,  
 Hospitaque alituum , se densum informet in orbem ,  
 Vespere ubi merulæ , fugitivoque agmine turdi

Garrulitate locos hilarant , avidoque corymbos  
Ore petunt , similes maturescentibus uvis.

Si libet externas patriis adjungeré plantis ,  
Pulcha Trapezuntis jamdudùm filia nostrâ  
Frigoris et nivium victrix assuevit in orâ ;  
Musarum quæ sæpè comas frontemque Gradivi  
Nobilibus foliis , lauri priscae æmula , cinxit.  
Nostris hæc hortis regnet , circumque vagantes  
Eoæ ostendant vexilla fluentia Thujæ.  
Africa ab infesto boreæ defendite flatu  
Neria , quæ Libyæ juga per nemorosa virescunt ,  
Et rivos roseis circum pendentibus ornant  
Fasciolis , immugit ubi lugubris Hyæna ,  
Ebriæque immanis dormitat tigridis ira.

Campus ita ornatur ; sed fronte severior altâ  
Gaudebit collis piceis et pinibus : imo  
Squammeus his conus pendebit acumine , at illis  
Squammeus erecto consurget acumine conus.

Denique proceras utrisque adjungite cembras  
Ex quibus æquoream classis fabricatur ad undam ;

Et quarum inter se collectæ , more modoque  
Peniculi , frondes radios imitantur acutos.

Limoso juvat è campo conscendere in alta  
Collis , ubi truncos flatu stridente sonantes  
Sæva sed immotos aquilonis verberat ira.  
Illic , sublimis vasto sub tegmine sylvæ ,  
Improvisi avium garritus veris amicam  
Effingunt animis speciem , et felicia reddunt  
Gaudia ; nam rostro jam strenua Loxia curvo  
Subtextit nidi summis opera ardua ramis.  
Jamque novis soboles plumis induta , paternâ  
Exercebit ovans hilares sub fornice ludos ,  
Quùm volucres aliæ , juncto vix fœdere amorum,  
Nondùm perfecto deponent ova cubili.

Tuque , ô nate hyemis , tu confuso agmine musce  
Densior , hùc propera te musæ offerre vocanti.  
Pronâ continuas quùm tristis aquarius urnâ  
Effundit pluvias , et opacant æthera brumæ ,  
Quùm sternit flores alios inamabile frigus ,  
Tùm virtute novâ tu , musce , renascaris ; atque  
Lugentem viridi solaris tegmine terram.

Æmilii tua tùm penetrare arcana parabat  
 Mentor, ubi, studii neglecta per otia dulcis,  
 Ducturum tandèm secum se tempora vitæ  
 Ultima sperabat. Cui se modò fontium amica  
 Multùm attendenti nempè explicuisset, et ipsa  
 Nos olim forsàn docuisset qualibus ignem  
 Viribus instantem frons tantula sistere possit;  
 Innumeris modò vidisset lycopodia ramis  
 Reticula in magnâ tendentia plurima sylvâ,  
 Vertice clavato miram jaculantia arenam  
 Quæ luce ipsa sonoque imitatur fulmina. In omni  
 Exigua ista loco sparsa et fallentia visus  
 Vir tanti ingénii læto aspexisset amore,  
 Haud secùs admirans ac si canadensia celsæ  
 Tunc invenisset primùm fastigia pinûs,  
 Aut, viridi ingentem Libanum quæ vertice latè,  
 Sæcula jàm mille, opperiunt, capita alta cedrorum;  
 Haud quippe ignarus naturam sæpè labores  
 Exiguo spatio ingentes occludere. Iniqua  
 Consilium innocuum vis lethi abruptit. Amœnos  
 Sic inter colles, ubi, mulcens ipse dolorem,  
 Laudibus abdebat sese, invidiæque furenti,  
 Extruat hîc pietas monumentum grata modestum:



Simplicitas dilecta viro , dux una piarum  
Sit manuum; huic tales fas uni accedere manes.  
Hinc procul infelix nimiùmque molesta cupresse.  
Hùc sola adsunto formâ virgulta venustâ ,  
Quæ dormitanti divûm famulentur amico.  
Jàm teneris dilecta animis Lonicera , lentis  
Viminibus tumulo impositam complectitur urnam;  
Ingeniique comes , viridanti stipite laurus ,  
Nobilibus tumulum consurgens frondibus ornat.  
Ipse nemus quoque populeum frondente coronâ  
Extendam. Vos ò sonitu quarum ille canoro  
Gaudebat , properate , sedete sub umbras ,  
Innocuæ , timidum genus atque imbelle, volucres ;  
Nunc etiàm circum resonent concentibus auræ ;  
Et procul à vulgo canite et volitate profano :  
Manibus isti etiàm cantus ludique placebunt.

Si vota exsuperans , Fortuna benignior unquàm  
Majora arva mihi , sylvasque et prata dedisset  
Pinguia ; tunc nostris exsurrexisset in hortis  
Dilecti cujusque viri sublimis imago,  
Naturam cui carminibus celebrare canoris  
Musa dedit. Meritos palinæ immortalis honores  
Ascrcæusque senex atque ipsius æmulus ille

Rossetus noster, læta ipsâ dante Cybele,  
 Acciperent. Purâ cum majestate venustus,  
 Alter Apollo, daret nostris Maro jura poëtis.  
 Lillius, Acaciæ tenui sub fronde, teneret  
 Pastorale pedum, mediâ concinnus ut urbe.  
 Nunc etiâ sículus pastor, pastorque sicamber  
 Agrestes choreas calamo resonante cicerent.  
 Te, bone, quâque die, Fontanî, lætus adirem.  
 Tuque, ô qui grandi cecinisti carmine menses,  
 Rucceri, fatis heu! qui melioribus uti  
 Debueras, te protegeret moesta umbra cupressi.  
 Massonemque et Marnesiam mea tota putares  
 Dimetiri ultrò doctâ viridaria dextrâ.  
 Gauderet felici olerum Vannerius horto,  
 Nec flores nostros contemneret ipse Rapinus.  
 Fatidicâs inter sylvas, torrentis ad undam  
 Præcipitis, caneret sublimia carmina Thomso;  
 Vinciret roseis varia anni tempora nodis  
 Bernius; et sophiam Lambertus carmine adornans  
 Nobilitata ipsis offerret aratra Dynastis.

Felix qui potuit sibi tanta parare per hortos  
 Ornamenta! magis sed forsitan ille beatus  
 Qui sine fastu habitans placidissima rura, librisque

Contentus variis , sapientûm ubi vivit imago ,  
Illorum ingenium mente exultante tuetur !  
Nil cupit ille ultrà vallem , ridentia primis  
Lætus ubi radiis collustrat limina Phœbus,  
Et quem vicino delapsus rivulus hortum  
Colle rigat , sylvæque propinquæ frigus opacum.  
Urbium in insano luxu quid quærat ? Amœni  
Munditias veris vidit , lata horrea messes  
Implevère , fluensque pedes vindemia tinxit.  
Pulchra diem nitidâ si luce aurora serenam  
Nunciat , uxorem secum sylvæ per opaca  
Ducit , et exiliens natus comitatur euntes.  
Poma , aliquotque cibi misit quos villa , nitentis  
Apposita in rivi florenti margine , inemptas  
Delicias præbent et dulcis gaudia cænæ ,  
Quam non solliciti turbat malè conscia cordis  
Cura ; sed innocuos circum læta omnia rident ,  
Unanimesque simul felici sorte fruuntur.  
Aurea sic ætas , mundo nascente , fluebat.

Venit Hyems. Illi non cessat blanda voluptas :  
Hortorum teneros boreæ subducere alumnos ,  
Exornare domum , viridi et circumdare saltu ,  
Interiorum etiàm partem subit ipse laborum ,

Uxori officio blandi auxiliatus amoris ;  
 Concordes quid enim jucundius inter amantes !

Illum quàm miseret brevium dominantis honorum,  
 Lætitiâ vultu, mœrorem corde gerentis !

Naufragia instabiles miserorum crebra per undas  
 Spectanti, ipse sibi benè littus amare videtur.

Sub tecto placidus, seras quùm protulit horas  
 Vesperus, AEgei docto duce littora Ponti  
 Perlustrat ; Sophiæ Samon incunabula priscae,  
 Inclyta dictæi Minois regna, et opacæ  
 Ingentes sylvas Idæ, et nigra culmina Cynthi.  
 His amat ille oris plantas reperire salubres  
 Antiquo magnus quas carmine laudat Homerus;  
 Quas ipsi in sylvis aliquandò avellere eisdem  
 Dignati, heroum sananda ad vulnera, divi.

Nec sphiæ tumidus fastu, sed blandus amicis,  
 Dulcia vicinos modò per convivia secum  
 Consociat lectos, modò ab illis ipse vocatus  
 Illorum gaudet lætanti accumberè mensæ.  
 Si qua novo ipsius viridaria ditat honore  
 Arbor; ubi optatum traxerunt poma colorem,

Horum primitias studiosis mittit amicis :

Illis si qua placet plantarum , haud postera surgit  
Aurora , optatâ quin gaudeat hortus alumnâ.

Invidiæ urbanæ rumores talia nunquàm  
Limina perrumpunt. Hic ruris dulcia laudat  
Gaudia , diversis diversa in mensibus anni ;  
Ille refert quanto Lodoïcus amore suorum ,  
Damna resarcierit quorum ipse innoxius unus ,  
Quàmque benignus iis patriam dignetur et ipsis  
Reddere , queis Scythicas abductis nuper in oras  
Ferrum hostile , geluque immane , famesque pepercit.  
His dictis , roseum commota puella ruborem  
Ore Chloë timido perfunditur ; ipsa enim amantem  
Tanto divini rediturum munere Regis  
Sperat ; et ancipiti percellitur anxia mente.  
Allevat auxilians alio sermone perita  
Mater , et illa intùs tacito solamine gaudet  
Virgo , nec ulla sui vestigia prodit amoris.

Horæ quàm dulces ! quàm dulcia fata molestis  
Vos fugiunt curis quos irrequieta fatigat  
Ambitio , tristi quos nocte dieque perurit  
Invidia igne furens ; socios qui semper acerbo  
Dente obtrectantes , dente obtrectamini et ipsi ;

Queis si fors vultu fortuna vōcata sereno  
 Arridet , subitō aversâ fugit improba pennâ.  
 Lætitiâ votis arcessitis : ecce metentem  
 Aspiciat irriguæ fecundo vallis in agro ;  
 Aspiciat errantem viridantum in gramine molli  
 Pratorum ; aut salicis , lacuum propè littus , opacæ  
 Dulce quiescentem blanda inter somnia in umbrâ.

Partibus infandis procûl , armorumquæ tumultu ,  
 Gaudia ruris ego sic hortorumquæ canebam.  
 Sæpe malis Patriæ compresso obmutuit ore  
 Musa , et mœsta manu cecidit lyra. Deinde solutæ  
 Instar avis , nova quæ , si sæva procella furorem  
 Deposuit , notâ instaurat modulamina voce ,  
 Attentam solito recreabam carmine ripam.

Tu , dulcis conjux , tenero quam semper amore  
 Amplexus , ficto cecini sub nomine Elisæ ,  
 Tu mecum seris etiâ memorabere seclis.

EXPLICIT BOTANICÓN LIBER QUARTUS ET ULTIMUS.

---

INDEX,  
FERÈ LINNÆANUS;

*Nominum vocumque minùs vulgarium quæ in his  
Botanicôn libris occurrunt.*

---

- ACER pseudoplatanus, *l'érable.*  
Aëdon; Motacilla lusciniæ, *le rossignol.*  
AESCHINOMENE grandiflora, *l'agathis.*  
ÆTHUSA cynapium, *la petite ciguë.*  
AGARICUS campestris, *l'agaric comestible.*  
ALBELLUS; Agaricus albellus autumnalis, *le mousseron.*  
ALNUS; Betula alnus, *l'aune.*  
AMADAVA; Fringilla amadava, *le bengali.*  
AMARYLLIS formosissima, *l'amarylle, autrement lys  
Saint-Jacques, et croix de Calatrava.*  
AMBAR, *l'ambre gris.*  
AMBOÏNA, *l'île d'Amboine, l'une des Moluques:*  
ANANAS; Bromelia ananas, *l'ananas.*  
ANTHOPHYLLON Molucarum; Caryophyllus aromaticus, *le giroflier.*  
APIUM graveolens vel dulce, *le céleri.*

*Apium petroselinum*, le persil.

*Arbor Armeniæ*; *Prunus armeniaca*, l'abricotier.

*Arbor Cerasuntis*. *V. Cerasus*, le cerisier.

*Armeria statica*, le gazon d'olympé.

*Ascræus senex*, *Hésiode*, né à *Ascra* en *Béotie*.

*Aster grandiflorus*, etc., l'*Aster*.

*Aurantiacus*; *Agaricus aurantiacus*, l'orange.

*Bandæa nux*; *Myristica officinalis*, la muscade,  
qui se recueille à *Banda* et autres îles adjacentes.

*Bernius*, le cardinal de *Bernis*, poète français.

*Beta vulgaris*, *Beta rubra*, la bette, la bette-rave.

*Betula alba*, *betula nana*, le bouleau.

*Boletus edulis*, le ceps.

*Brassica*, le chou. *Insubria*, le *Milanez*, la *Lombardie*.

*Bromelia ananas*, l'ananas.

*Burdigalus Præses*; *Montesquieu*, l'auteur de l'*Esprit des Lois*.

*Cactus*, le *nopal*, plante dont les feuilles nourrissent l'insecte nommé *cochenille*, *coccinella*. Ce dernier mot est évidemment le diminutif de *coccus*, qui a pour synonymes *murex*, *conchylum*, *ostrum* et *ostreum*.

*Camæpithis*; *Teucrium camæpithis*, l'ivette.

*Carolus (magnus)* *Charlemagne*, fils de *Pépin le bref*.



Carthesius , *Descartes* , le précurseur de *Newton*.

Cembra. *V.* Pinus.

Centaurium ; *Gentiana centaurium* , la centaurée.

Cerambix moschatus , le capricorne musqué.

Cerifera. *V.* Myrica.

Chamærops excelsa , le latanier.

Cervus alce , l'élan ; l'orignal , au Canada.

Cervus tarandus , le renne.

Cicuta virosa , la ciguë.

Cistus helianthemum , le ciste.

Cocos nucifera , le coco.

Convolvulus , le convolvulus ou liseron.

Cortex ( *Cinchonæ officinalis* ) le quinquina.

Cucumis melo , le melon.

Daphne laureola , le daphné.

Daucus carotta , la carotte.

Dianthus carophyllus , l'œillet.

Dictamnus ; *Origanum dictamnus* , le dictame.

Dionæa muscipula , la dionée.

Ebulus ; *Sambucus ebulus* , l'hièble.

Elastrum ( emprunté du grec ) ressort.

Erica , la bruyère.

Erigeron ; *Senecio* , le seneçon.

Euphorbia sylvatica , l'euphorbe.

- Fagus sylvatica*, le hêtre.
- Faseolus*. *V.* *Phaseolus vulgaris*, le haricot.
- Filix* (*Pteris aquilina*) la fougère.
- Fontanius*, *La Fontaine*, le *Fabuliste français*.
- Fontinalis* (*Fontium amica*) la fontinale.
- Fragum*; *Fragaria vesca*, la fraise.
- Fraxinus excelsior*, le frêne.
- Fraxinus ornus*, l'arbre à manne.
- Fringilla cælebs*, *domestica*, le pinson, le moineau.
- Gelsimina*. *V.* *Jasminum*.
- Hedera helix*, le lierre.
- Helleborus niger*, l'hellébore, ou herbe de Noël.
- Herbacea*; *Salix herbacea*, *Lapponum*, le saule.
- Hyperborea volucris*; (*Anas mollissima*) l'eider, dont le duvet se nomme édredon.
- Hypnum serpens*, etc., l'hypne.
- Hypocaustum*, poêle, fourneau.
- Ilex aquifolium*, le houx.
- Jasminum fruticans*; *Jasminum officinale*, le jasmin.
- Jonquilla*; *Narcissus jonquilla*, la jonquille.
- Juniperus communis*, le genièvre.
- Juniperus lycina*, l'arbre à l'encens.
- Lappa*; *Arctium lappa*, la bardane.
- Laurus nobilis*, le laurier.

*Lilium candidum*, le lis.

Lilius, *Delille*, le traducteur des *Géorgiques* de *Virgile*, en vers français. Tel est son plus beau titre de gloire littéraire. On a fait à ses autres ouvrages l'application de ce mot de *Quintilien* : *Amabilibus abundat*. . . Quant à son noble caractère, on n'oubliera jamais que *Delille* osa braver *Robespierre* et le *Directoire*, et qu'il refusa de louer leur successeur.

Linnæus, *Carolus Linnæus*, le *Newton* de la botanique, de la zoologie, etc.

Macaotes. *Psittacus*.

Malleus ; *Carolus* cognomine *Malleus* ; *Charles Martel*.

*Manca volucris* (*Aptenodyte patagonica*) le pingouin.

Maro ; *Publius Virgilius Maro*.

*Meldæus sacerdos*, l'évêque de *Meaux*, *Bossuet*.

*Mentha aquatica*, la menthe.

*Mercurialis annua*, la mercurielle.

Modunum, *Meudon*, entre *Paris* et *Versailles*.

*Morrencia vallis*, la vallée de *Montmorenci*.

*Mus sylvaticus*, le mulot.

*Musa paradisiaca*, le bananier.

*Muscus*, la mousse. Pour cet article, encore plus que pour beaucoup d'autres, je dois renvoyer le lecteur aux notes qui sont à la suite du poëme français.

*Myrica cerifera*, le cirier.

*Nardus indica*, le nard.

*Nasturtium*; *Cardamum*; *Cardamine pratensis*, le cresson.

*Nerium oleander*, le laurier-rose.

*Nyctantes sambac*, le jasmin.

*Nymphæa alba*, le nymphæa ou nénufar blanc.

*Obius*, l'Obi, fleuve de l'Asie septentrionale, qui donne son nom à l'Obskaïa ou golfe de l'Obi, dans l'Océan glacial.

*Ocellus*. *V. Dianthus*.

*Ophris insectifera*, l'ofris.

*Ornus*; *Fraxinus ornus*, l'arbre à manne.

*Panax quinquefolium*, le ginseng.

*Paranæ herba* (Cassine Paragua) l'herbe de Parana ou du Paraguay.

*Parus major*, etc., la mésange.

*Phoca jubata*, le lion marin.

*Phoca ursina*, l'ours marin.

*Picea*; *Pinus picea*, le sapin.

*Pinus abies*, le picea.

*Pinus sylvestris*, pinea, tæda, cembra, strobis, les pins.

*Primula veris*, la primevère.

*Procellaria antarctica*, le pétrel.

- Psittacus macao , psittacus versicolor , psittacus lory , etc. , *l'ara , la perruche , le lory , etc.*
- Rapinus , *le P. Rapin , auteur du poëme latin DES JARDINS.*
- Rheum undulatum , *la rhubarbe.*
- Rossetus , *Rosset , qui le premier donna des Géorgiques en vers français.*
- Rubus fruticosus , cæsius , *la ronce.*
- Ruccerius , *Roucher , qui , par les qualités de son ame , encore plus que par ses talens , mérita l'honneur d'être envoyé à l'échafaud par le tribunal révolutionnaire.*
- Rumex acetosus , *l'oseille.*
- Ruscus aculeatus , *le fragon.*
- Ruta graveolens , *la rue.*
- Salicaria ; lytrum salicaria , *la salicaire.*
- Salictum ; Salix alba , purpurea , viminalis , etc. , *le saule.*
- Salix vitellina , *l'osier.*
- Salvia sclarea , *la sauge.*
- Sanicula Europæa , *la sanicle.*
- Scabiosa succisa , *la scabieuse.*
- Scandix cerefolium , *le cerfeuil.*
- Sciurus , *l'écureuil.*
- Seïba ; Bombax ceïba , *le séiba.*





